5.5.339

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

C I

J. ANDREAE SERRAI

ORAT. S. HIERONYMI CHARIT. PRESBYTERI

DE

VITA ET SCRIPTIS JANI VINCENTII GRAVINAE COMMENTARIUS

AD ILLUSTRISSIMUM VIRUM

D. EMMANUELEM
DE RODA ET ARRIETA

Hispaniarum Regis Catholici Consiliarium, ejuſdemque apud Sedem Apoſtolicam negotiorum Curatorem.

Romae cIↃIↃcclviii. ex typographia de Rubeis apud Pantheon.

PRAESIDUM FACULTATE.

Digitized by Google

ILLUSTRISSIMO ATQUE DOCTISSIMO VIRO

D. EMMANUELI

DE RODA, ET ARRIETA

Hiſpaniarum Regis Catholici Conſiliario, ejuſdemque apud Sedem Apoſtolicam negotiorum Curatori

J. ANDREAS SERRAUS

S.

MAgnum ingenium Vincentii Gravinae fuit, Vir Illuſtriſſime, magnumque optimarum artium ſtudium, tum admirabilis illius eloquentiae vis in omni liberali ab eo percepta doctrina maxime enituit. Conſtat enim inter omnes, plures illas, quas excolendas ſuſcepit diſciplinas, tanta cognitione & ſcientia comprehenſas habuiſſe, ut pares in illis habuerit paucos, ſuperiorem

Digitized by Google

fortaſſe neminem. Etenim non unus e multis, ſed inter plurimos prope ſingularis, ſummus ſcilicet Orator, Poeta ſummus, ſummus denique Juriſconſultus merito ac jure a viris doctis habitus eſt. Quibus inſuper facultatibus comitem, ſive potius moderatricem addidit philoſophiam illam, quae in moribus componendis verſatur: quam praeſtantiſſimam doctrinam non ut oſtentationem ſcientiae, ſed eam ad ſedandas praeſertim pravas animi affectiones, recteque inſtituendam vitam, amplexus eſt. Atque hanc certe fuiſſe cauſam minime dubito, cur ille amicitiam ſibi, & benevolentiam adjunxerit Raphaëlis inter alios Fabretti, Franciſci Blanchini, J. Juſti Ciampini, Benigni Boſſueti, J. Baſilii Caſtelvinii, Gaſparis Cardinalis Carpinei Pontificis Maximi in Urbe Vicarii, Franciſci Pignatelli Cardinalis item, & Archiepiſcopi Neapolitani, aliorumque & virtutum, & ſapientiae laude praeſtantium virorum. Quibus ſanctiſſimis viris, atque integerrimis ſic probatus eſt, ut unicuique eorum & carus maxime, & jucundus eſſet: propterea quod illa demum ſtabilis & firmior amicitia eſt; quum viri boni moribus ſimiles ſunt familiaritate conjuncti: non enim ſine virtute amicitia eſſe ullo pacto poteſt. Tanti viri igitur vitam, moreſque, ac litterarum ſtudia Latinis monumentis conſignare aggreſſus, egregie per me ejus dignitati & nomini conſultum iri duxi, ſi, omiſſis aliis e noſtratibus Gravinae ſtudioſis, ex ea potiſſimum

gen-

Digitized by Google

gente Patronum advocarem , quam Gravina & ornamento ſibi , & firmiſſimo praeſidio fuiſſe graviſſimis in cauſis experimento didicerit. Ecquis enim ignorat, quanta ſit ornatiſſimi viri Emmanuelis Martini in Gravinam meritorum ac beneficiorum magnitudo ? Hujus enim Hiſpani hominis (ut plures alios ſapientiſſimos ex eo genere ſilentio praeteream) expertus is eſt & fidem erga ſe ſingularem, & eloquentiam, eruditionem, acumenque in ſui propugnationem, atque ad obtrectatores ſuos profligandos paratum . Quarum rerum teſtimonium illuſtre merito prodidit, quum ad virum clariſſimum Emmanuelem Mignanam Hiſpanum ſcribens , ſic inquit . Quodque antepono rebus omnibus ex ea natione , cujus homines ob antiquiſſimam ad hoc uſque aevum armorum , literarum , & imperiorum gloriam, ac praeſertim propter tenaciſſimam eorum fidem atque conſtantiam , omnibus mihi officiis attrahendos , ac ſingulari cultu retinendos , merito ſemper antea , & nunc praecipue duco ; quippe uſu rerum, & meis non ſemel caſibus expertus, nihil in vita poſſe Hiſpani hominis amicitia inveniri generoſius , nihil validius , nihil opulentius , beatius denique nihil (a) . *Hinc quum operae pretium prorſus ſit , Gravinae res geſtas nulli aptius , quam Hiſpano Maecenati inſcribere, cauſam eſſe juſtiſſimam duxi , cur Te , Vir Ampliſſime , potiſſimum delegerim. Etenim quis unquam alius fuerat mihi magis*

op-

(a) *Epiſtola haec legitur inter Epiſtolas Emmanuelis Martini lib. II. Ep.* LXIV.

Digitized by Google

optandus, quam is, qui honorificentiſſimis verbis ſolet ſaepe de Gravina ſermones inſtituere, ejuſque laudes commemorare, facta, & mores curioſius inquirere, ac doctrinarum ſtudia perſcrutari; tum ejus ſcripta jam inde ab adoleſcentia pervolutare, legere, ſententiaſque menti defixas retinere conſueverit? Quod ſane nemini mirum videri debet: nam quum optimarum artium ſtudioſiſſimus ipſe ſemper fueris, ſelectiſſimam clarorum ſcriptorum omnium bibliothecam tibi comparaſti, ac ſtuduiſti ſemper doctiſſimorum hominum vel parem Te efficere, vel etiam ingenio doctrinaque eoſdem ſuperare. Et quum inter alias omnes ingenuas diſciplinas duae praecipue mirifice Te ſemper delectaverint, Jurisprudentiae ſtudium, & ſacrarum rerum ſcientia, nullum idcirco tempus unquam praeterire ſiviſti, quo non illarum puriſſimos fontes & progreſſus magnis vigiliis, magnoque labore (ſi labor exiſtimandus eſt optimis artibus vacare) inquireres, probeque intelligentia teneres. Quoniam vero civile inter, ac ſacrum Jus magni ſaepe offenſionum ſcopuli ſoleant offendi; eam tamen ex omni antiquitate conſiliorum copiam & maturitatem tibi comparaſti, ut recte utriuſque fines & terminos diſcerneres, qua ratione alterum ex altero pendeat, quando diſſociari, copularive, non modo cum Sacerdotii, verum etiam cum Imperii dignitate poſſit, percalleres: quae ingenii praeſtantia magis magiſque ſplendeſcit, additis praeterea egregiis aliis animi tui ornamentis, probitate ſcilicet,

mo-

morum gravitate, prudentia, ac ſingulari in rebus gerendis dexteritate. Quarum virtutum quum clariſſimum ſpecimen cum ſaepe alias, tum praeſertim in eo, quod Matriti Conſiliarii Regii geſſiſti munere, dediſſes, factum eſt, ut Ferdinandus Catholicus Hiſpaniarum Rex praeclare Regnorum ſuorum commodis ſe proſpecturum ſit arbitratus, quum Te e maximo numero ampliſſimorum virorum, quibus Hiſpanica gens ſemper abundavit, delectum Romam, hoc eſt, ad principem Religionis, & ſacrorum ſedem, opportune mitteret, ubi publice graviſſima quaeque ageres negotia. Ceterum, ut ad inſtitutum revertar, antequam manum ad hunc ſcribendum Commentarium admoverem, id vel maxime mihi praeſtandum duxi, ut auctoris ſingula ſcripta, ac praeſertim epiſtolas magna diligentia evolverem; praeterea, quidquid de illo a ſcriptoribus litteris traditum eſt, colligerem; ac complures tum in Urbe, tum foris, eoſque locupletiſſimos teſtes, qui Gravinae in omni fere vitae curſu familiares extiterunt, conſulerem: ita ut quidquid in medium afferrem, totum id ex probatis auctoribus, certiſque monumentis bona fide deſumptum ſit, aut neceſſaria conſecutione inde deductum. Id unum reſtat, Eruditiſſime Vir, ut has ſtudiorum meorum primitias, veluti perpetuum mei erga Te officii atque obſequii monumentum, benigne, libentique animo excipias. Vale.

IM-

IMPRIMATUR,

Si videbitur Reverendiſſimo P. Mag. Sac. Pal. Apoſt.

F. M. De Rubeis Patr. Conſt. Viceſg.

APPROBATIONES.

PRaeſens opuſculum *De Vita J. Vincentii Gravinae* perlegi, nec in eo quidquam repperi, quod a recta Religionis noſtrae norma aberraret, vel bonis moribus abſonum foret, ſed in eo percurrendo auctoris elegantiam ſermonis, multarumque rerum notitiam admodum ſum demiratus. Sic vere ſentiens ſubſcripſi Romae VI. Kal. Novembr. 1758.

Joh. Bottarius.

PErlegi mandante Rm̃o P. Mag. Auguſtino Orſi *Commentarium de vita & ſcriptis J. Vincentii Gravinae* ab J. Andrea Serrao Rom. Oratorii Presbytero S. Hieronymi elucubratum, in quo illius vitam, mores, & ſtudia eleganter, fideliter, accurateque deſcribit: quumque in eo nihil contra Religionem, & Chriſtiana Inſtituta repererim, & Hominis Eruditiſſimi nomen, famamque ab Adverſariorum, invidorumque calumniis jure optimo, teſtimoniiſque ſpectatiſſimorum Virorum, quae ipſe jam diu perſpecta habebam, vindicatam viderim, non ſolum meo ſuffragio approbandam, verum etiam omnium veri, rectique amatorum lectione digniſſimum cenſeo. Dat. IV. nonas April. CIↃIↃCCLVIII.

Franciſcus Marianus Vaticanae Baſilicae, Beneſic. & Bibliothecae Scriptor Graecus.

IMPRIMATUR.

Fr. Auguſtinus Orſi Ord. Praed. Sac. Pal. Apoſt. Mag.

DE

Digitized by Google



Digitized by Google

DE VITA ET SCRIPTIS

JANI VINCENTII GRAVINAE

COMMENTARIUS.

I. IN agro Bruttiorum, quos Calabros vocant, haud procul ab urbe Conſentia, oppidum eſt, ſatis frequens, quod Rogianum, ſive Vergianum nunc dicimus: idemque homines noſtri a pervetuſta illa Urbe, *Vergae* ab Livio appellata (a), ſuam ducere originem volunt. Hic natus eſt Johannes, vulgo Janus Vincentius Gravina XII. Kal. Febr. anno CIƆIƆCLXIV. Patrem habuit Januarium Gravinam, matrem Annam Lombardam, parentes inter ſuos haud obſcuro loco natos, neque tenui re familiari inſtructos. Pater, prout ipſe erat ſtudioſus littera-

A rum

(a) *Lib.* XXX.

rum, omnibus diſciplinis, quibus puerilis aetas ad humanitatem informari ſolet, filium, quoad domi habuit, imbui curavit.

II. Ferebatur ea tempeſtate Scaleae (namque ibi natus erat, maritima Bruttiorum urbe) magna nominis celebritate, & ſapientiae fama, Gregorius Caloprefius, Gravinae amitinus: qui quum bonis ſtudiis, & optimis artibus eſſet praeditus, inprimiſque optimo generi philoſophiæ, ac poeſi Neapoli egregiam navaſſet operam, recens tum in patriam domum, tanquam ex aliqua bonarum artium mercatura, remigraverat. Quarum facultatum eximia ille in vulgus emiſit monumenta: exſtatque modo apud Leopoldum Metaſtaſium Petri fratrem vaferrimi Spinozae ſyſtematis Confutatio, geometrica methodo exarata: cui operi ſane egregio immortuus nondum ſupremam manum impoſuerat. In hujus itaque diſciplinam admodum puer a patre traditus Vincentius, brevi ipſius amorem omnem, benevolentiamque ſibi conciliavit. Verum Caloprefius pueri docile aptumque ad artes optimas admiratus ingenium, in eo inſtituendo haud fruſtra ſuam collocare operam, & dignam eſſe materiam, in qua ſua omnis induſtria non ſine ingenii gloria verſaretur, animo praeſagivit. Igitur Jani Gravinae fortunae tribuendum, quod eum potiſſimum nactus eſt doctorem, cui cum officii, ac neceſſitudinis ratione, ſumma praeterea eſſet optimas diſciplinas tradendi facultas: naturae ve-

vero, quod & excellentem docilitatem ingenii, & miram memoriae vim, ut non ſolum celeriter arriperet quae tradebantur, ſed etiam ſcientia comprehenſa retineret, ſortitus eſt. Ac ſibi Caloprefius, ſecus quam pro more vulgarium ſcholarum, docendi rationem adhibendam in animum induxit. Etenim mature informare puerum inſtituit iis diſciplinis, quas ille quum adhuc tener combiberet, ad majora poſtea veniret paratior. Principio linguam Latinam paucis quidem praeceptis grammaticae, ſed longe majore optimorum librorum conſuetudine, ac uſu illi tradidit; & in ſelectu librorum magnam curam adhibendam curavit. Nam ab illorum auctorum explicatione inſtituendum duxit, ex quibus omnium primum ſermonem naturalem, ac familiarem puer ediſceret: quales prae ceteris ſunt Phaedri fabellae, & Terentii comoediae, neque materie obſcurae, neque oratoria verborum circuitione moleſtae. Inde ad Ciceronis, aliorumque probatiſſimorum libros traduxit, comitem eodem tempore Romanae hiſtoriae notitiam adjungens. Non abſimili ratione in litteris, & hiſtoriis Graecis probe eſt ab eo eruditus Gravina. Poeſim quoque eo praeceptore delibavit cum Latinam, tum Italicam: ea felicitate, ut nonnulla eo tempore panxerit poematia, in quibus ſi non ubertas, & copia, rectum ſane, ſupra quam ejus aetas pati poterat, ſuſpiciebatur judicium. Eodem doctore, quum primum per aetatem licuit, operam ac ſtudium phi-

loſophiae impendit. In qua facultate adipiſcenda, omiſſis barbaricis illis Scholaſticorum, ut vocant, nugis, quae ſub improba ſervitute tunc temporis plurimas Italiae Scholas tenebant, exordium a geometria ſumpſit, ſanctioraque philoſophiae praecepta hauſit e Renati Carteſii potiſſimum Commentariis. Saepe etiam Bernardini Teleſii, & Petri Gaſſendi evolvebat libros, quos impigre, ac ſedulo illi interpretabatur Calopreſius, talium philoſophorum ſummus admirator. Quod autem a puero Scaleae diverſatus ſit, ibique litteras didicerit Gravina, pluribus errandi occaſionem dedit, qui falſo in eo oppido illum natum crediderunt.

III. His diſciplinis ad bene cogitandum, apteque dicendum imbutus adoleſcens, quum vix annum decimum ſextum attigiſſet, Neapolim a Calopreſio mittitur. Is votis omnibus optaverat Gravinam ſecum in eam urbem ducere, neque unquam ab ejus lateribus recedere. Sed quum per id tempus a rei domeſticae curis eſſet ille vehementer implicitus, quae praeſentem ipſum magnopere deſiderabant, ex ſua re familiari menſtrua penſione Gravinae conſtituta, Neapolim eundem dimittit, curae commendatum Seraphini Biſcardi Conſentini, qui iis temporibus principatum juriſprudentiae, atque eloquentiae in Neapolitano Foro tenebat. Is omnibus officiis, in ſtudiorum praeſertim regimine, Gravinam eſt proſecutus, captus adoleſcentis & humanita-

ta-

Digitized by Google

tate & doctrina. In hujus etiam diſciplinam eodem tempore ſeſe tradidiſſe Cajetanum Argentum memoriae proditum eſt: ut ex his duobus alumnis diſciplinae ſuae, Biſcardi gloriae non parum acceſſerit. Auctor igitur is fuit Gravinae, ut praeceptis acceptam bene dicendi rationem, atque eloquentiam, qua in omnibus diſciplinis nihil eſt neque utilius, neque praeſtantius, varii generis exercitationibus, ſcriptitando, declamando, probatiſſimum quemque ex veteribus imitando, jam perſequeretur: tum Graecarum litterarum ne intermitteret ſtudium. Poſtquam vero his ſtudiis mentem probe expoliviſſet, animum, & cogitationes omnes ad juriſprudentiam adipiſcendam, ubi poſtea perpetuo commorandum, traduceret. Idem erat Caloprefii, ac parentum conſilium, qui jam inde ab initio pubertatis illum ad eam facultatem deſtinaverant. Gravina eloquentiae exercitationes ex animi ſententia ſuſcepit, quia natura pronus ad politiorem humanitatem ferebatur. Quo tempore duas illum tragoedias Italico ſermone ſcripſiſſe ferunt; alteram, cui nomen fecit *Tragedia di Criſto*: quam utrum ex Graeca, quae S. Gregorio Nazianzeno tribuitur, verterit, an ex ſua ipſius ſententia compoſuerit, parum compertum habeo, quoniam illam Gravinae ſub oculos habere nobis adhuc non licuit. Altera eſt, quae appellatur *S. Atanaſio Tragedia*, cujus etiam nomen tantummodo ad nos pervenit. In Graeca lingua eodem tempore au-

audivit Gregorium Meſſerium, hominem eruditum, qui magna cum ingenii gloria tunc temporis in Neapolitano gymnaſio Graecorum eloquentiam profitebatur. At ubi eo ventum eſt, ut tempus jam capeſſendi legum ſtudium appeteret, tergiverſari primum Gravina, & in ſequentem annum rem trahere. Cujus rei quum ſpem omnem tandem praeciſam ſibi intelligeret, muſſitare, atque etiam aperte dictitare, ſe inſtar mortis accipere juriſprudentiam vel a limine ſalutare. Quid enim, ajebat, tam praepoſterum, ac monſtri ſimile, quam animum ab elegantioribus Muſis ad forenſium foeditatem, & rerum omnium colluvionem protinus traducere, ubi praeter barbariem, linguaeque ſordes nihil eſt, quod ingenium vel parum liberaliter inſtitutum auſit ſperare? Quibus vanis curis, ubi ſenſit Biſcardus animum adoleſcentis vehementer ſolicitum, longe illum errare, oſtendit, qui de pulcherrima, atque adeo jucundiſſima Juris Romani ſcientia adeo averſas, ac falſas opiniones animo imbiberit: quippe aliud eſſe juriſprudentiae ſtudium, aliud forenſium inſtitutum. Hos quum fere quaeſtus cauſa leges profiteantur, nihil mirum cum venali opera, ingenium quoque lutulentis doctrinis inquinatum praeſeferre: contra, germanam juriſprudentiam comitem, & adjutricem ſemper habere reconditam, atque exquiſitam eruditionem, notitiamque Graecorum, & Romanorum morum: tum latinae linguae puritatem adeo ab ea di-

ſtra-

ſtrahi non poſſe, ut contra Latinitatis candor, & a priſcis Juriſconſultis mire ſit excultus, & poſteriori aetate neglectus fere ab omnibus, & peregrina labe corruptus, ab Alciato, Cujacio, Hotomanno, aliiſque ad exemplum aetatis aureae ſit revocatus. His, atque ſimilibus rationibus Gravina, praeconceptorum terriculorum nube diſſipata, magna animi alacritate ad cognoſcendum Jus Civile, atque Pontificium acceſſit, opera uſus Neapolitani gymnaſii Antecesſorum. In Theologiae ſtudiis, qua diſciplinarum maxima praeſtantiſſimaque fuit non mediocriter eruditus, nullum adhibuiſſe doctorem reor: ſed ſua ipſius minerva fuiſſe edoctum, facile adducor ut credam.

IV. Omiſſis denique vulgaribus Scholis, domi proprio marte optimis diſciplinis cupide animum imbuere inſtituit. Studiorum haec erat ratio. Quum ad juriſprudentiae ſtudium, quanquam principio nequaquam libenti animo ei proponebatur, ſeſe potiſſimum contuliſſet, ut illius cognitionem ſcientia comprehenſam haberet, atque a puris fontibus potius hauriret, quam rivulos conſectaretur, totus erat in evolvendo Corpore, ut vocant, Juris Civilis, cujus perſcrutandi receſſus, atque origines nunquam deſiderium explevit. Interpretibus & ducibus uſus eſt prae ceteris Franciſco Accurſio, & Jacobo Cujacio: illo, quod tametſi ex eruditorum expoſitione, veterumque legum teſtimoniis manifeſto erroris coarguitur, tamen in quaeſtionibus ad Forum redundanti-

tibus, merito ceteris aliis aptiorem duxerit; Cujacio autem, quod Graeca & Latina eruditione abditos vulgo reſeraſſe ſenſus ratus ſit. Plurimum etiam operae, ac temporis in Platonis ſcriptis perlegendis inſumebat: cujus philoſophi inſtitutis, & doctrinis mirum quantum delectatus Gravina; de qua re plura, quum res poſcet, diſſeremus. In poeſi Homerum, poetarum omnium principem, maxime ſibi delegerat: ex quo divino vate vel imprimis poeticam facultatem arceſſiri debere praedicabat. Et M. Ciceronis volumina in deliciis uſque habuit: quorum perpetuo uſu, & conſuetudine Tullianam illam ſibi comparavit eloquentiam, planeque aureum dicendi genus. Neque minore ſolertia in Sacrarum Litterarum lectione verſabatur, eas omnis ſcientiae, ſapientiaeque univerſae aerarium appellans. His quinque librorum generibus mentem aſſidue paſcebat; hos ſibi noctes & dies evolvendos propoſuerat: ceteros doctos auctores nonniſi per otium adeundos cenſebat. Cui rei teſtimonio eſſe poteſt Epigramma hoc, quod bibliothecae ſuae appoſuerat:

Divina quiſquis & ſtudet mortalia,
Velit loquela quiſquis omnes vincere,
Civile Corpus Juris, & Sacros libros;
Platona, Homerum, Tulliumque perpetuo
Evolvat; illis & frequentet additos:
Doctos adibit ceteros per ocium.

Ad annum aetatis ſuae xxv. Neapoli diſcendi dulcedi-

dine ſtudiis nulla valetudinis cura indulſit, ut veluti heluo librorum, ſi hoc verbo in tam clara re utendum eſt, nullum ſibi legendi, ac meditandi modum ſtatueret, ac ſaepe ne ipſum quidem, quod ad quietem conceditur temporis, ſibi relinqueret. Ex qua tam immoderata, atque inexplebili cupiditate legendi atrocem viſcerum, ac ſtomachi contraxit morbum, quo ad poſtremum uſque ſpiritum conflictatus fuit. Itaque dum in ea Urbe commoratus eſt, nunquam domo pedem extulit, niſi ut Religionis Chriſtianae munera expleret, aut quibuſdam coetibus intereſſet (Academias vocant) quo ſtatis diebus, & horis egregii aliquot adoleſcentes conveniebant, & per laudabilem quandam ſtudiorum aemulationem, minime vulgaris elegantiae ſcripta recitabant. Quo tempore magnum ſuorum ſtudiorum cepiſſe fructum ajebat, quod neceſſitudinem cum Dominico Auliſio iniiſſet, viro, cui per ea tempora tot variiſque rerum doctrinis magno labore comparatis, Neapoli omnium fere conſenſu, univerſae eruditionis primae deferebantur. Uſus eſt etiam familiariter Carolo Majella, tum adoleſcente optimis diſciplinis ornatiſſimo: qui, quantum Gravinae tribuerit, ſignificavit non ſemel in ſuis ad eumdem epiſtolis, obſequii officiique plenis, quas ego pleraſque ab exemplaribus magna cum voluptate exſcripſi.

V. Interea ingens Gravinam ceperat Romanae urbis viſendae cupido: quod ante per Calopre-

ſium minime licuerat, ab cujus voluntate & conſilio, quamvis abſentis, omnino pendebat; non enim tulit ille Gravinam prius Neapoli abire, quam doctrina & eruditione apprime informatus eſſet. Anno denique CIↃIↃCLXXXIX. Romam de Calopreſii voluntate demigravit, cui obviam proceſſit, eumque domum ſuam benigne familiariterque excepit Paulus Coardus Taurinenſis, vir illuſtri inter ſuos loco natus, qui non adeo multo poſt unus ex Decemviris conſtituendae Arcadum Academiae fuit, adlectuſque inter Clementis XI. Pontificis Maximi Cubicularios, quos Honorarios appellant. Qua neceſſitudine, aut cujus commendatione ea officia erga Gravinam exequutus ſit Coardus, parum liquet. Illud minime ambigitur, ab eo non modo hoſpitio exceptum Gravinam, ſed etiam ambos plures annos fuiſſe contubernales. Extemplo cum hoſpite ſuo egit Gravina, ut qui eſſent in Urbe viri litterarum, & doctrinarum nomine clari, noſceret: eos enim amore & conſuetudine conjunctos habere vehementer optaverat, quum nuſquam firmius, aut verius, quam morum ſtudiorumque ſimilitudine ſolere familiaritatem, & benevolentiam confirmari ſciret. Quum itaque ventitarent frequentes doctiſſimi viri domum Joh. Juſti Ciampini, multarum litterarum hominis, ubi ſocietate inita, de eruditione, deque aliarum doctrinarum ſtudiis verba facere inſtitutum habebant; huic coetui continuo Gravina, adnitente Coardo,

no-

nomine dato, ſuis ſcriptis & elucubrationibus omnigena eruditione refertiſſimis, adeo omnium in ſe commovit admirationem, ut quos neceſſitudine attingere prius expetiverat, ab unoquoque eorum cognitione & familiaritate dignus ultro exiſtimaretur. In amicitiam idcirco devenit litteratiſſimorum hominum, ipſius nimirum Ciampini, qui ſumma benevolentia Gravinam amplectebatur, Raphaelis Fabretti, Franciſci Blanchini, Philippi Bonarotae, Laurentii Zaccagnae, Alexandri Guidi, Joh. Baptiſtae de Miro Benedictini, aliorumque, quorum immortale viget in litteris nomen. Neminem vero arctiore ſibi conciliavit amicitia, quam Emmanuelem Martinum Hiſpanum, virum humaniſſimum, ſibique minime abſimilem: in Latinis autem, & Graecis litteris, atque in univerſa antiquitate eruditum ſic, ut non facile quempiam dixeris ea aetate doctiorem. Hunc Gravina ob virtutem, fidemque ſpectatam ad extremum uſque ſpiritum cariſſimum habuit. Summa inter illos voluntatum, ſtudiorum, ſententiarumque conſenſio ſemper fuit: in quo verae amicitiae ſita vis eſt omnis. Hi ultro citroque ſua communicando ſtudia, in perſcrutandis tum Latinis, tum Graecis antiquitatibus una tempus terebant. Quod autem ſingulari officio Gravinam obſervavit Martinus, idcirco eum Gravinae diſcipulum credidit Gottfridus Maſcovius (a): ſed ſi non aetate, voluntate certe fuit

(a) *In Not. ad Dialog. de Ling. Lat. Vinc. Gravinae.*

& cultu. Neque vero amicos plurimos ſibi comparare Gravina penſi habuit: quod eos non numero, ſed genere & moribus diſtinguere conſuevit.

VI. Ventitabat Coardi domum ſenex quidam vicinus, haud vulgaris homo, qui cognitis optimis Gravinae diſciplinis, eum plurimi jam faciebat, familiaritatemque cum eo iniverat. Illi igitur die quodam quum domi ſederent ſine arbitris, ſenex multa de Romanae civitatis forma, moribuſque, amicitiae cauſa, narrare inſtituit: ſe jam exactae eſſe aetatis: in Romanis rebus diu multumque eſſe verſatum: Romae eam ineſſe ſpeciem reipublicae, in qua nemini etſi peregrino, atque alienigenae capeſſere res urbanas minime liceat: nihil clauſum, nihil interdictum, nihil quod, quominus virtute atque induſtria niti non poſſet, impediret. Sed plerunque homines, alioqui probatos, qui Romae petitum honores veniunt, falſos eſſe, & ſero alienam rationibus ſuis inſtitiſſe viam intellexiſſe. Fere enim accidere, ut quis quamvis diſciplinarum, & virtutum commendatione maxime emineat, niſi in potentis alicujus, & ſummis honoribus praefulgentis viri gratiam & poteſtatem ſeſe conferat, fruſtra is ſit, vanaque illi omnia procedant. Proinde videat etiam atque etiam: mature in cujuſdam ejuſmodi viri clientelam & fidem ſeſe commendet: illi inſerviat, operamque ſuam locet: nihilque niſi de ipſius voluntate & nutu unquam moliatur: brevique honores & opes ultro ei pro-

proclives fore pollicetur. Haec & alia ſenex quum in ea ſua allocutione dixiſſet, Gravinam reſpondiſſe ferunt, ſenis officium ſe gratum accipere. Verum ſibi longe aliam eſſe ſententiam, quam ceterorum, qui domos ſuas, ut alibi opes atque honores quaererent, relinquunt. Se nihil horum petitum Romam veniſſe. Dei enim benignitate, abunde ad vitam honeſte & moderate ducendam facultates ſuas ſuppetere. Si quis vero vitiis, & pravis voluptatibus velit indulgere, nullam eſſe ſatis grandem auri vim, quae illi ſumptum praebere poſſit. Honorum vero ſpem jam ultro remittere iis, quos dominandi, vulgique ſuffragia aſſequendi cupiditas ſtimulat. An, inquit, cordati eſſe hominis putas, in deliciis habere perpetuo ſervire univerſis, ut paucis aliquando imperet, & tota vita carere honeſta ingenii libertate, ut inanibus pariter & incertis inſerviat opinionibus? Mihi porro certum, atque deliberatum eſt, unam doctorum cujuſcunque ordinis hominum gratiam & familiaritatem appetere, eos colere obſequio, iiſque me dedere; cetera nemini mortalium inſervire. In hanc ſententiam loquens Gravina, non tamen ſenis animum offendit: quin & ſui exiſtimationem adauxit apud eum, quoniam ambitionem omnem a ſe amotam jam patefeciſſet.

VII. Per ea ferme tempora erat jam memorabilis cum primis inter Chriſtianos Theologos diſputatio, quae, poſt editas praeſertim Provinciales Epiſto-

ſtolas, diriſque devotas per Pontifices Maximos quorundam perverſe opinantium ſententias, multorum ingenia ad certamen exciverat. Nam novi quidam Theologi, ſive quos vocant *Caſuiſtae*, in moribus regendis, recteque inſtituenda vita, nullam priſcae ſeveritatis rationem habendam eſſe, non Veteres Eccleſiae Patres, non Sacros Canones reſpiciendos; ſed uniuſcujuſque aetatis affectiones & ſtudia benignitate atque indulgentia moderanda contendebant. Hinc novas regulas pro re nata in moralem doctrinam invexere, quae humanae voluntati potius faverent, quam modum in recte ſancteque colendo Numine praeſcriberent. Adverſus hos plures inſurrexere praeſtantes viri, qui ſeverioris antiquae diſciplinae patrocinium ſuſcipientes, nihil a veterum inſtitutis recedendum affirmabant: eos morum magiſtros habendos: ceteros recentiores perinde ſuſcipiendos, ac ſua cujuſque effata & ſententias veterum Sanctorum Patrum monumentis & auctoritate confirmarent. Et Gravinam, qui ſaepe animi gratia utrorumque ſcripta lectitaverat, hac ſuper re aliquid conandi cupido inceſſit. Igitur eodem illo anno, quo primum Romam venerat, Dialogum ſcripſit *De corrupta Morali doctrina*, fuitque primus ipſius labor, quem in vulgus emiſit. Verum metuens animorum partium ſtudio effervеſcentium indignationem & invidiam, ſuppreſſo ſub *Priſci Cenſorini* nomine Neapoli edidit anno CIↃIↃCXCI etſi Coloniae nomen praeſefert: neque amplius

plius quinquaginta exemplaria excuſa fuere. In quo Dialogo nimirum Gravinae propoſitum eſt, oſtendere, Eccleſiam Catholicam plus detrimenti e corrupta morum doctrina, ejuſque patronis accepiſſe, quam e quacunque vel deterrima haereſi, haereticorumque improbiſſima audacia, & conatu. Non abs re eſſe duco ejus Praefationem ad Lectorem huc afferre, ubi opellae argumentum, mentemque ſuam auctor explicat: *Ne quis putet, Moralem doctrinam hac diſputatione vexari, neve ſanas piorum doctorum traditiones, ac regulas in contemtum adduci ſuſpicetur,* Caſuiſticam *hic differentem auctor induxit, ſub cujus perſona, & nomine comprehendit omnes eos, qui per verborum ambages Chriſti doctrinam eludunt, ac Evangelicae legis nodos, & robur verae virtutis ſolvunt, atque relaxant, vitiis temporum, & corruptis hominum moribus indulgendo. Ideo vero* Caſuiſtica *ſoror* Haereſis *fingitur, quia pietatem ambae, quamvis diverſa via convellunt.* Haereſis *enim detorquet intellectum a Fide & veritate;* Caſuiſtica *vero voluntatem avertit a rectitudine, & juſtitia. Illa veras notiones corrumpit, haec rectas actiones pervertit per diſſolutionem diſciplinae. Ceterum Moralem doctrinam, & eos, qui poſt antiquos Patres illam illuſtrarunt, ac illorum veſtigiis inſiſtentes excoluerunt, quod inter ceteros D. Thomas Aquinas optime praeſtitit, non probat modo, ſed & ſuſpicit, ac veneratur. Malum & peſtem, quae huic doctrinae imminet a Caſuiſtis,*

ſive

ſive a recentioribus quibuſdam, qui ſub nomine Caſuiſtarum, rationem bene pieque vivendi cum vitiorum illecebris, tamquam inito foedere conjungunt, opprimi, ac profligari vehementer optat. In eo Dialogo, quanquam quo tempore Gravina illum ſcripſit, XXVI. aetatis annum agebat, eximiam rerum theologicarum ſcientiam perſpicere licet: quem tanti doctiores & boni omnes fecerunt, ut noſtra memoria V. Cl. Daniel Concina laudi ſibi duxerit integras illius pagellas, in Italicum ſermonem verſas, in ſuo Commentario *De Incredulis* deſcribere. Adnotandum vero hic illud eſt, procul erraviſſe eum (a), qui ſuperioribus annis, hunc, de quo agimus, Dialogum G. De Witte, Belgae, adſcripſerit. Nam inde jam ab eo tempore conſtanter ſemper uni Gravinae adtributus eſt: & Blancus (is credo, qui diſcipulus Gravinae, ab eodemque quarto loco haeres ſubſtitutus fuit) referente Auctore ſupplementi ad Dictionarium Bayli (b), exemplar quoddam illius Dialogi invenerat, quod ipſius Gravinae manu & ſcriptione a mendis quamplurimis erat expurgatum: quae notae leguntur etiam in alio exemplo quod extat in Bibliotheca Card. Paſſionei. Praeterea ejus Dialogi ſententiae, ſtylus, ſcribendique genus adeo cum ceteris Gravinae ſcriptis conveniunt; ut vel uno hoc indicio nulla ratione Gravinae abjudicari poſſe, certum habeam.

VIII.

(a) *Auctor Vitae G. De Witte Cap. 3. pag. 51.*

(b) *Tom. 2. lit. G. pag. 71.*

VIII. Cum primum editi illius Dialogi rumor eſt pervulgatus, magnos ille civit motus, turbaſque fecit. Etenim quemadmodum bonorum omnium amorem ac favorem meruit, ita adverſae factionis offenſionem ſubivit. Facinus indignum clamitabant, tot ſapientiſſimos doctores (ita Caſuiſtas appellabant) per deridiculum ludibrio habitos. Neque diu potuit Gravina in occulto latere: quum enim neſcio quomodo nomen ſuum in vulgus emanaſſet, plurium in ſe hominum commovit odia: qui immani bello eum aggreſſi, nihil intentatum reliquere, ut in invidiam traducerent, ac veluti minus ſanae Religionis hominem infamarent. Irrito ſane conatu: nam quum ſaepius magno clamore quiritando, & potentium virorum nomina interponendo, adniſi eſſent, quo nota aliqua Dialogo illi a Romanis Cenſoribus infligeretur, nihil unquam profecere. Gravinae autem non minus ad ſuſtinendam exortam illam procellam, quam ad ſcribendum praeſens animus fuit. Etenim quemadmodum in eo Dialogo omnem Chriſtianam pietatem, ſecundum Chriſti doctrinam, ex Fide, & Caritate inter homines unice pendere, ſcripto ſolide comprobavit; ita factis & exemplo ſeſe prodebat, ut duo illa maxima & praecipua in animo infixa gerens Praecepta, externarum, ut vocant, devotiuncularum ſtudioſos, qui nunquam ad princeps illud Legis Evangelicae caput animum attendunt, gravi perpetuoque odio inſectatus ſit. Quae res ma-

gni illi ſtetit . Inde enim obtrectatores ad conviciandum imponendumque ſumpſere anſam : neque unquam ſubinde eum in omni vitae curſu quieſcere ſiverunt . Eam vero , quam adverſarii conflaverant invidiam , Gravina non lenire obſequio & comitate , ſed acerbitate opprimere maluit : eoque magis ſimulatam eorum pietatem acrioribus ſermonibus , & ſcriptis exagitabat . In quo tamen ſatis belle ſeſe geſſiſſe eum negant : nam & temporum rationem habere , & hominum voluntates , ac ſtudia aequiora erga ſe conciliare , ſapientis ſemper , cordatique viri eſt habitum .

IX. Vixdum ab eo certamine reſpiraverat Gravina , ecce novum , atque adeo periculoſius cum corruptis & malis poetis ſuſcepit bellum . Amicitia & conſuetudine Alexandrum Guidum ſibi devinctum habebat , poetam , cui in depravata ejus aetatis poeſi optimum retinuiſſe ſenſum ſumma laus debetur . Is enim , ipſo affirmante Gravina , Romae primus fuit , qui novorum poetarum inſolentiam , candore atque caſtitate veteris elocutionis , & imitatorum ſervitutem , moderata elatione ſpiritus , & colorum novitate declinavit . Igitur rogatu inclytae Svecorum Reginae Chriſtinae Alexandrae , cui doctrina , & gratia erat eximius , novo quodam , minimeque vulgari poeſeos genere , ſcenicam Fabulam ſcripſerat Guidus , quam noſtri vernacule *Endimione* appellant : quae ut ſupra ceteras ea tempeſtate ferebatur , ſic cen-

cenſores nauſeantes habuit haud paucos. Gravina porro Guidi poetae ſcribendi rationem vehementer probavit: eumque defendit tum ſaepe alias, tum praeſertim in Oratione Italica ſub nomine *Bionis Crataei*, quam in coetu quodam eruditorum de ſcripto recitavit: editaque ſubinde fuit una cum Guidi poemate anno CIↃIↃCXCII. In ea Gravina verae germanaeque poeſeos fontes aperit, contenditque, ab ipſa philoſophia, ſine qua carmina puerile quiddam, ac nugatorium ſapiunt, poeticam artem repeti debere. Hinc evenit, ut, dum Guidum exornat ac tuetur, ſemidoctorum turbam exulceraret. Quidam enim livore confecti novam inde maledicendi obtrectandique occaſionem arripientes, nefario inito foedere, ad novum hunc correctorem atque emendatorem morum, poeſiſque inſtauratorem (ſic Gravinam per deridiculum appellabant) opprimendum conſenſerunt.

X. Interim eodem decurrente anno CIↃIↃCXCII. maledicus quidam, de quo mentionem facit Gregorius Majantius in Vita Emmanuelis Martini, ſub larvato *Quincti Sectani* nomine Satyras edidit nonnullas, quibus omni impudentiae & ſcurrilitatis genere in *Philodemum* (quo nomine Gravinam deſignavit) ſatis inverecunde, & ad bonorum faſtidium, inſultavit. Is autem maledicentiae furor Romae tam impune diſcurrit, tam inſolenter exultavit; ut ne principibus quidem viris pepercerit: ac nemo tunc bonus probuſque fuit, ad quem ea contumeliarum tela non

Digitized by Google

venerint. Quapropter Raphael Fabrettus, vir doctiſſimus aeque atque ſpectata virtute, & priſca probitate omnibus carus, quaſi ſe puduerit in eo bonorum cenſu ab Sectano maledicentia ſua non eſſe deſcriptum, non eſt veritus in poſtrema ſua Inſcriptionum Collectione oblatratores Gravinae praeclaro & graviſſimo de eo teſtimonio ultro laceſſere: perque litteras eidem pollicitus eſt, in ipſo tuendo atque obſervando periculum quodcunque ſubire ſe eſſe paratum, ubi illud imminere certo ſciret. De his autem Sectani Satyris nihil dicam: nimis enim multos amatores habent. Quibus ego vehementer aſſentirem, modo illam ingenii ubertatem Sectanus, verſuſque ſuos ingenioſos quidem, conviciis tamen, & in bonos calumniis, tum etiam vocabulis nefandis & obſcoeniſſimis haud foedaſſet. Quare hoc vere videor poſſe contendere, quod nemo negaverit, multa in Sectano offendi, quae ne liberaliter quidem educatum, nedum Chriſtianum hominem decent: eumque ſatis commodum impudentiae magiſtrum, ſi parum attenderis, poſſis agnoſcere: ut nonniſi juſtiſſimis de cauſis a Romanis morum Cenſoribus ſubinde Satyrarum illarum lectio interdicta ſit. His permotus rebus Emmanuel Martinus, aegreque ferens, virum morum innocentia, boniſque artibus praeſtantem adeo indignis modis habitum, ad mala illa carmina Notas ſcripſit, quibus non modo quid differat inter leporem & ſcurrilitatem, magniloquentiam & tu-

Digitized by Google

tumorem demonſtravit; ſed patefacta pluribus in locis barbara dictione, & male conſarcinatos centones, poetam ſuis telis confodit, ac temeritatem, quae ſimpliciorum animis fraudem ferebat, perdomuit. Narrat Gregorius Majantius in Vita Martini, inter Litteratos eo tempore vix de alia re, quam de Notis criticis, ſermonem fuiſſe. Eas legere, & exſcribere negotium praecipuum. Omnes earum Auctoris acumen admirari, ac celebrare, utriuſque linguae praeſtantiam ad Caelum efferre. Denique eo deventum, ut plures Legati Regii ad ſuos Principes emiſerint Notas illas. Quamobrem paucis diebus illae innumeris pene exemplaribus per totam Urbem pervulgatae, minime opus fuit, ut typis imprimerentur: quanquam ab Auctore deinde Valentiae Hedetanorum praelo excuſas fuiſſe comperimus. Enimvero Martini auctoritas non leviter quemlibet movere debet, propterea quod hominem fuiſſe video in pernoſcenda Latinae Linguae caſtitate & proprietate exercitatiſſimum: cujus ſummam in eo ſtudii genere praeſtantiam, qui non ſuſpicit in ejus ſcriptis, nae ille omni pulcherrimarum litterarum ſenſu prorſus ſe deſtitutum fateatur. Animadverti etiam Sectani Satyras in Amſtelodamenſi editione anni CIƆIƆCC. ſecundum Martini animadverſiones emendatas fuiſſe; in qua plurima illa barbarae orationis vitia, quae in Romana legebantur, fruſtra requires.

XI. De ipſo Satyrarum auctore nihil habeo quod

quod certius ac liquidius auſim affirmare. Nam quum plura hac de re legiſſem, conſuluiſſemque plurium doctorum hominum ſententias, nihil exploratius, quam ſub judice adhuc eſſe litem, retuli: propterea quod nullus ſane reperitur, cui illae tribui non ſine magnis difficultatibus poſſint. Illud quidem certo conſtat, plures Sectanum (quiſquis mortalium ſub eo nomine lateat) habuiſſe emiſſarios, ac ſuſurrones, quorum opera in ſcribendis divulgandiſque libellis uſus eſt. Teſtatur autem Gravina in Epiſtola ad Martinum, quemdam noviſſe inter Sectani gregales, ſingularis audaciae & impudentiae hominem, qui quum a Gravina divexando, exaſperandiſque ſodalium illius animis, & concitandis in eum ſcurris, ad corrumpendas tabulas, & haereditates compilandas ſeſe convertiſſet; dum praedam contraheret, ſociiſque rapinae partes deſcriberet; fuit in eo flagitio publice deprehenſus, publicaque infamia, inſtar furis manifeſtarii mulctatus. Ejus vero nomen Gravina aequum duxit reticere: flagrionis enim illius crimina fuere nomine notiora, quum niſi ſceleribus innotuiſſet, ut natus eſt, fuiſſet obſcurus. Ex uno hoc, de ceteris Sectani congerronibus conjecturam facere quiſquis poteſt.

XII. Si quis vero requirat, quo animi ſenſu conviciatores ſuos pertulerit Gravina; plane colligitur haud obſcure, vehementer eum principio commotum fuiſſe: maxime vero, quia ab impuris illis ver-

verſificatoribus fuerit meris calumniis , & ſcurrilibus probris impetitus . Quinetiam Iambos in Sectanum compoſuit , quos vidi ego apud Leopoldum Metaſtaſium ; verum διὰ σημείων , perque notas ſcriptos , ut nonniſi a Petro Metaſtaſio , cui Gravina ſymbolum dederat , explicari queant . Scriptaeque ab eodem fuere Declamationes , ſeu Verrinae in Q. Sectanum: quae deinde in cujus poteſtatem devenerint , incompertum habeo . Deferveſcente vero contentione , animadvertit impudentiſſimi ſcurrae illius deliria tanti non eſſe , ut doctorum hominum iram & confutationem mererentur . Hinc ſaepe illud Horatianum uſurpare conſueverat :

Invidiam placare paras virtute relicta?
Contemnere miſer .

Succurrebat praeterea illi in mentem , idque omnibus aeque eſſe perſuaſum ſciebat , quod in ſecundo ſuarum *Originum* libro cap. LV. attulit : *Romani , nimirum , moribus graviores , & diligentiores famae cuſtodes , convicia , & famoſos libellos , non indicia vitiorum , ſed potius innocentiae alienae teſtimonium eſſe putarunt , omnis criminis ſuſpicionem auferentes ab eo , cui defuit accuſator , cum non defuiſſet inimicus , ut egregie Conſtantinus Imperator exiſtimat* (a) . *Quamobrem fuſtibus ad necem feriendum juſſerunt hominem , qui conviciis , aut malis carminibus alienam famam laceraſſet .* Vicem tantummodo ſuam ſaepe dole-

(a) *Balduin. in* XII. *tab.*

lebat Gravina, quod gravis aliquis adverſarius ſibi non contigiſſet, cum quo poſſet doctrina & eruditione, non conviciis ſycophantiiſque, certare. Quamobrem in vita Cujacii has emiſit voces: (a) *Denique ut ſors eſt noſtra, qui vix Cujacio praeceptore digni ſumus, inſenſos habuit minus doctos omnes: quos tamen haud eadem patientia tulit, qua nos faecem hanc literatorum decem jam annos totos, ope divina toleramus. Neque enim ille ſilebat, neque abſtinebat ab injuriis iis, quarum nomine ab Hottomanno reprehenditur, qualia ſunt* ſcutica dignus, ſtultus, mendax, caecus, caliginoſus, os durum, *& ſimilia, quibus ſuos Cujacius hoſtes inceſſebat, non propter conſtantiam hominis noſtra minorem: ſed forte quia illi, non calumniis, ut iſti, & conviciis de trivio arreptis occentabant: ſed ingenio potiſſimum certabant, & literis, ut non prorſus docto adverſario eſſent indigni: diſſimules certe ſannionibus noſtris, minime idoneis ad eruditi ullius hominis iram. Sed hos mittamus livore, otio, & alienis opibus in bonorum contumeliam abundantiores, qui ſcelerum ſtupore haud intelligunt,* injuriam, unde exorta eſt, ad eum plerumque reverti.

XIII. Dum autem a ſuis adverſariis injuriis & contumeliis divexatur Gravina, interim ſummis viribus bonarum artium inſtitutionem Romae intermiſſam jam revocare adnitebatur. Nam etſi melio-

(a) *Orig. Lib.* 1. *Cap.* CLXXX.

liora litterarum ſtudia, ſplendorque atque elegantia, multis poſt ſaeculis, e barbarorum ſervitute per doctiſſimos homines vindicata, atque in antiquum ſuum domicilium Italiam reſtituta fuerit; ſua tamen aetate cultiorem doctrinam adeo labantem ac jacentem dolebat Gravina, ut in alteram prope barbariem iterum demerſa ſibi videretur. Superiori enim ſaeculo turgeſcentium poetarum potiſſimum turba, cum frigidulis argutiis, luxuque ornamentorum, omnia tenebant: qui novis numeris, inſaniſque tranſlationibus, Pindaricum ſcilicet, & Horatianum ſpiritum, dictionemque putabant in vernaculam linguam allaturos: & quum ſterilitatem vellent fugere, ſupra modum intumuerunt, ut integrioris judicii hominibus ſtomachum mire commoverint. Gravina igitur communi illi malo quum vellet occurrere, in eo maxime laborabat, ut Graecos, Latinoſque velut perfectiſſimum univerſae poeticae facultatis exemplum, una cum illorum egregiis imitatoribus Dante, Petrarcha, Bembo, Caſa, aliiſque hujus notae, mature juvenibus ad imitandum proponeret: ut retenta veteri dictione, adhibitoque temperamento ac judicio, varietatem rerum quaererent majorem, animorumque motus, & imagines ingeniorum, popularibus coloribus, ad communem cognitionem ac ſenſum, exponerent. Cujus ſententiae nactus ſuffragatores, ac ſocios plures praeſtantes viros, qui eadem voluntatum ſtudiorumque conſenſione ducebantur, ſaepius ad

Digitized by Google

numerum ferme xv. unum in locum convenientes, exquiſitam ſolidioremque poeſim excolebant. Quum autem plures facti eſſent, III. Non. Octobr. anni CIↃIↃCXC. in Montis Janiculi receſſu ad id deſtinato, una coacti, coetum in democraticae reipublicae formam conſtituerunt, Arcadeſque ſeſe vocaverunt. Horum inſtitutum erat, ut vernis & aeſtivis feriis, quo tempore a forenſibus ſtudiis, & urbanis rebus honeſte vacatur, convenientes aliquando in hortos, & animum ad amoeniores Muſas traducentes, nomine atque ſcriptis paſtoritiam ſimplicitatem praeſeferrent, & in eo conſenſu Arcadicos mores, agreſtiſque vitae ſpeciem, ſublato gradus locique diſcrimine, praeberent. Is coetus aliquandiu quibuſdam legibus, ſive monitis regebatur. Aucta vero multitudine doctorum hominum, qui paſtoritium nomen ſuſceperant, quo rei communi, & abſentibus potiſſimum paſtoribus conſuleretur, placuit ſcribendis certis legibus Decemviros creari. Una cum aliis ampliſſimis viris & Gravina Decemvir creatus eſt: cui a Collegis univerſis datum negotium eſt, ut ex immenſo propemodum commentariorum acervo, quibus ad id tempus uſi Arcades fuerant, Leges erueret, ac Latine redderet. Munus ſuum Gravina egregie explevit: mira enim verborum proprietate, ac brevitate ſane concinna, ad priſcarum Legum XII. Tabularum exemplum, Leges Arcadum ſcripſit, quae magna cum auctoris commendatione & gloria per to-

totam Europam volitarunt. Ac tandem Decemviri XIII. Kal. Junias anno CIↃIↃCXCVI. generalibus comitiis in colle Palatino habitis, Arcades univerſos ad concionem vocarunt: ibique Gravina luculenta Oratione Legum ratione propoſita, eas marmoreis tabulis inciſas promulgavit: & ita Orationem abſolvit: *Quamobrem haſce ego Leges*, quod bonum fauſtum, felixque ſit vobis, & veſtro Communi jubendas cenſeo. *His itaque recitatis, atque rogatis, ite in ſuffragium, Arcades, Deo bene juvante*. Et quoniam commentitium nomen in eo conventu profiteri moris erat, Gravina ſuſcepit nomen *Opici Erimanthei*. Talem originem habuit celebris Arcadum Academia, quae (ut ſunt rerum initia) magna celebritate praeſtantioribus Italiae ingeniis decoris materiam principio obtulerat: ſubindeque per omnem fere Italiam variis coloniis propagata eſt.

XIV. Scripſerat per id tempus Gravina exercitationis cauſa nonnulla Opuſcula, quae in unum collecta non indigna viſa ſunt, quae in publicam lucem efferrentur. Itaque anno CIↃIↃCXCVI. libellum volumine exiguum, ſex Opuſcula complectentem in vulgus edidit. Primum Opuſculum, quod Gaſpari Carpineo Cardinali nuncupatur, *Specimen priſci Juris* exhibet. Non ita pridem adjecerat Gravina animum ad exponendas Origines Juris civilis: quod opus quum plurium annorum eſſet, & immenſi laboris ac induſtriae, interea loci ex rudibus adhuc

illis, nec dum degeſtis Commentariis, ſpecimen hoc excerpſit, in quo breviter exponit, quae fuſius in tribus Originum libris poſtea diſputavit. Quod ſpecimen, doctiſſimorum hominum judicio, cum quolibet ipſius Gravinae Opere dignitate facile certat. Agit ſecundum Opuſculum, ſive Dialogus, *De Lingua Latina*, cujus praeſtantia, atque utilitas per Emmanuelem Martinum, quem cum Proculo diſſerentem inducit Gravina, luculenter aſſeritur, atque omni eruditionis genere illuſtratur; demonſtraturque non aliunde melius, quam a Graeca erui poſſe: Linguae Latinae ſtudium fuiſſe nunquam a Graecarum litterarum cognitione ſejunctum: immo quaſi perpetuum elegantiae foedus iniiſſent, pulſis Graecis litteris, ſimul exulaſſe Latinas, iiſque revocatis, & has rediiſſe. Hunc Dialogum eidem Emmanueli Martino miſerat Gravina cum epiſtola tanto Philoſopho digna; quae ſi ſapientiae lumina, ſententiarum, atque eloquentiae vis ſpectentur, jure poſſet praeſtantiſſimis literatorum hominum monumentis aequiparari. Tertium Opuſculum epiſtola eſt *Ad J. Gabrielem Reignerium*, Gallum. Dolet in ea Gravina Italiae vicem, in qua quum litterarum decus & elegantia, florentibus Romanorum opibus, nata eſſet, & multis poſt ſaeculis, quamvis convulſo jam Imperio, reſtituta; tum non modo videbatur ab ea laude excidiſſe, ſed etiam in ſummam bonarum artium ignorationem pene eſſe demerſa. Quartum item

item in epiſtolae formam, inſcriptum Franciſco Pignatello, Archiepiſcopo Tarentino, *De contemtu mortis* agit. Illud Gravinae ejus rei occaſionem dederat, quod e gravi morbo Franciſcus Carafa convaluerat, qui in eo tolerando, & contemnenda morte miram ſui prodiderat conſtantiam. Et quintum epiſtolam complectitur ad Trajanum Miroballum, quem de immatura filii, optimae ſpei adoleſcentis, morte, pluribus argumentis Gravina conſolatur. Sextum denique Opuſculum Tractatum Italicum continet de antiquis fabulis, quem dedicavit Cardinali Boncompagno, Archiepiſcopo Bononienſi. Fatetur Gravina in eo ſe ſtudii genere, exiguo admodum tempore, doctrinae veterum, priſcaeque eloquentiae cognitionem ſibi pandiſſe. Quod argumenti genus in latiore volumine, locis exempliſque e graviſſimis auctoribus petitis, quum pertractare animo concepiſſet, id aliis curis tum diſtentus praeſtare minime potuit. Hunc Tractatum poſtea Joſephus Rignoldus Gallus in ſuam linguam tranſtulit. Narrat enim Emmanuel Martinus in epiſtola ad Gravinam, hominem illum eleganti, ſubactiſſimoque judicio, mirifice delectatum eo opuſculo, quo nihil elucubrari poteſt nec doctius, nec politius.

XV. Supremo fato functo Alexandro VIII., ex Neapolitano Archiepiſcopatu ad Pontificatum Maximum IV. Id. Jul. CIↃIↃCXCI. evehitur Antonius Pignatellus, nomine aſſumpto Innocentii XII. Hic per-

pervetuſti generis nobilitatem longo intervallo ſuperavit morum innocentia, pietate, magnitudine animi, prudentia: & quam certatim homines de eo conceperant expectationem, devicit ſane in rebus gerendis fide prope ſingulari. Nullus apud eum gratiae, nullus ambitioni, nullus aſſentationi, nullus denique malis artibus locus: ſed quos commendatione verae virtutis ſemel dignos cognoverat, eis aditum ad honores & praemia patere ſemper voluit. Quid ſub tanto Pontifice litterae ſperare poſſent, extemplo re ipſa omnes intellexere. Quin nullam unquam rem, niſi de doctorum virorum ſententia conſilioque, eſſe molitum, atque aggreſſum, memoriae proditum eſt. Itaque ut primum de Gravinae optimis ſtudiis ad ſe perlatum eſt, confeſtim illum honore aliquo augendum animo cogitavit. Propterea hominem ad ſe vocari jubet, collaudatumque ampliſſimis verbis hortatur, ut ſacrae militiae nomen dare velit. Cui Gravina aperte atque ingenue animi ſui ſententiam patefecit; ſe nimirum minus idoneum ad Eccleſiaſtica munia obeunda agnoſcere, ea praeſertim de cauſa, quod animum mentemque ſuam totam ad civilem Juriſprudentiam, profanamque eruditionem traduxiſſet. Quid igitur potiſſimum in votis haberet, percunctante Pontifice; pro tanta Principis bonitate, Gravina, hoc unum ſe praeoptare, reſpondit, munus ſcilicet publice docendi Leges, quando id opportune accidiſſet. Eumque, poſt quam bo-

Digitized by Google

bonum animum habere juſſit, dimiſit Innocentius. Tandem quum anno CIƆIƆCXCIX. Juris civilis ſchola in Romano Archigymnaſio doctore caruiſſet, Joh: Franciſcus Albanus Cardinalis, is qui non ita multo poſt in Pontificem Maximum Clementis XI. nomine adlectus fuit, quique Gravinae eruditionem & ſapientiam diu multumque ſpectatam habuerat, nemine rogante, Pontificem Innocentium adiit, oratque, ne ſineret Vincentium Gravinam, magnae expectationis virum, ſine aliquo honorario munere aetatem agere. Veniſſe jam tempus, ut quoniam tot curis Pontifex ipſe maximam tribunalium & judiciorum labem ſimul cum ceteris corruptae diſciplinae vitiis diluiſſet; in ſcholas quoque ſinceram ſolidamque Juriſprudentiam per Gravinam revocaret. Haec magno ſtudio contendenti Cardinali Albano Innocentius non aſſenſus modo eſt, ſed ultro juſſit, Vincentium Gravinam ad Jus civile docendum porro evocari. Is igitur par ingenii ſui, & vocis eruditae dignitati theatrum nactus, ad munus ſuum obeundum magna animi alacritate accedit: nihilque ſane praetermittit, quo minus dilapſa jam ſincerioris Juriſprudentiae, bonarumque artium ſtudia, voce atque inſtitutione ſua reſtitueret. Quapropter non minorem ſibi diligentiam adhibendam proponebat. Etenim non uſitato vulgarium magiſtrorum more, ſed novo, atque ad eam diem Romae in ſcholis inaudito, Legum Inſtitutiones tradere ſtatuerat:

rat:

rat: quum in docendo Latini ſermonis elegantiam, ab aliis neglectam, aſſumeret, multa e philoſophorum, cultiorumque juriſprudentum diſputationibus mutuaret, multa ex antiquitate repeteret, multa ex Graecis Scriptoribus depromeret: &, quod mirum, ita eas res recepto Fori uſui accommodabat, ut non minus auditorum utilitati, quam eruditioni conſuleret. Ipſo eodem die, quo primum cathedram Legum conſcendit, Orationem ad ſtudioſos Juris civilis habuit, in qua ſumpto de praeſtantia Populi Romani in armis ac legibus exordio, Juriſprudentiae origines, fata, ac viciſſitudines, excellentiamque luculenter enarravit: quam denique ita concludit: *Ejus* (Innocentii XII.) *juſſu atque benignitate ad Jus civile docendum evocati, Libros quatuor Inſtitutionum ſuſcepimus explicandos; in quorum expoſitione, ſicuti longas & ſupervacuas quaeſtiones declinabimus; ita ex priſca Juriſprudentia rebus obſcuris lucem afferemus; quaeſtioneſque forenſes uberiores ad exercitationem adoleſcentium contexemus; id maxime ſtudentes, ut neque parcitate areſaciamus ingenia, neque nimia copia obruamus; aliaque laboribus noſtris commoda juventuti afferre conabimur, quae more noſtro praeſtitiſſe malumus, quam promiſiſſe.*

XVI. Cum ſanam ac rectam minimeque fallacem diſputandi rationem in omni doctrinarum genere; tum in Juriſprudentia maxime eſſe neceſſariam vere dici poteſt. Nam ſi juriſconſultus pravam

vam differendi normam arripuerit, inque divinum & humanum jus tranſtulerit, ſua falſitate judicii, civilem quoque ſtatum, & opes, atque patrimonia evertet. Igitur animadvertens Gravina, plurimum in eo peccare juvenes, qui quum Arabum irretiendi artem callerent, eamdem in legibus pervertendis adhiberent; ſui muneris officiique eſſe partes duxit, non ferre eos in re tam gravi turpiter errare: matureque illos eſſe admonendos cenſuit, ne conſuetudine fallendi, veritatis viam prorſus ignorent. His de cauſis inde argumentum aſſumpſit in Oratione, quam habuit in eodem Archigymnaſio XVI. Kal. Decembr. CIↃIↃCCI., in qua *De Recta in Jure diſputandi ratione*, copioſe differuit: invectuſque maxime in illos eſt, *qui pro Graecis, & Latinis literis, notitiaque hiſtoriarum, captiones & concluſiunculas ad ſtudium Juris civilis afferentes, perinde argutantur in legibus, atque ab ineunte aetate in ſcientiis aliis conſuevere*. Monet oratque, ut nihil penſi habeant quomodo argutentur ſophiſtae, *quibus hi videntur ſtrenui magis, qui diutius in uno, quod vocant, concludendi medio frigide conſtiterint, ac laqueum protenderint longiorem: ut non ante deſiſtant, quam digitorum percuſſione, atque etiam clamoribus a corona comprimantur: quaſi glorioſum ſit perpetuare deliria, & pertexere operas aranearum*. Non adeo idcirco diſputationes omnes e ſcholis rejicit Gravina: quinimo earum uſum, & utilitatem plurimum commen-

dat: ſed dicaculam illam averſatur, & argutatricem Dialecticam vulgarem, *quae totos dies impudentiſſime in ſcholis latrat ipſa, & latrare doctrinas alias docet*. Probat proinde honeſtam illam & verecundam, minimeque pervicacem diſputandi normam; duplicemque ſtatuit; alteram, quae *utitur oratione perpetua & fuſa, propoſita quaeſtione in utramque partem, Carneadeo, & Academico dicendi more*: quae quum ſcriptis & meditate tractentur, *diſcant juvenes ad praelium parare ſe, datoque ſpatio cogitandi, non invenire modo, ſed etiam ſeligere rationes*; *ac non ſolum cogitare ſapienter, ſed etiam exponere ſenſus ſuos eleganter: itaque ingenio, & judicio matureſcant*. Aliud diſputandi genus in altercatione, alternoque ſermone poſuit, ubi voce, non ſcriptis; ex tempore, non compoſito diſputaretur: *ut aſſueſcant adoleſcentes invicem ſe improviſo adorti habere ingenium in promtu, atque in tumultuario praelio expedire aliquid ſtatim, conſiliumque in re ſubita capere. Unde modo ad unum, modo ad aliud genus diſputandi transferantur: hac enim exercitationis viciſſitudine in utraque facultate pares evaſerint, & ingeniorum tarditas exercitatione improviſa, celeritas vero inconſulta diuturnae meditationis uſu temperabitur*. Ne autem diſputandi praecepta, quae in tota Oratione recenſuerat, juvenibus exciderent, ea brevibus aliquot capitibus, adhibita priſca Legum ſcribendarum forma, & antiqui ſermonis majeſtate, comprehen-

dit,

dit, appoſuitque ad calcem ejuſdem Orationis, quos *Canones*, ſive *Regulas*, *diſputandique leges* appellavit.

XVII. Eodem tempore majus negotium a quibuſdam Romani Fori leguleiis Gravinae exhibitum eſt. Erant enim Romae permulti *Ridolphiniſtae*, ut vocant, hoc eſt, Petri Ridolphini ſectatores, qui, pulſis omnibus Juriſconſultorum, ſive Cujacianis, ſive Accurſianis, ſive Bartolinis interpretibus, domi Praxi illius Judiciaria, tanquam Juſtiniani Codice praelegendo, trimeſtri ſtudio abſolutam juriſprudentiae cognitionem juvenibus ſatis impudenter promittebant. Pari confidentia Romano Foro dominabantur: eorum arbitratu res omnes divinae humanaeque decernebantur. Hac contagione captis cauſidicorum animis, Gravina, qui ſuam docendi rationem a cultioribus ſanioribuſque interpretibus arceſſebat, in ea meritoria temporum juriſprudentia tam paucos nanciſcebatur; ut ſe propemodum deſperaverit auditores inventurum. Vulgo enim juvenes ad audiendas rabularum tricas & portenta aſſueti, averſabantur quidquid a ſincero Legum ſtudio emanabat. Eamdem prorſus fortunam obtigiſſe olim Aldo Manutio, Pauli F. memoriae prodidit Janus Nicius Erythraeus in ſua Pinacotheca, qui, quum humaniores litteras, & Graecam eloquentiam magna nominis celebritate in Gymnaſio Romano doceret, vix unum aut alterum habuit au-

ditorem. Nec ſugiebat Gravinam a balatronibus quibuſdam uſque carpi ſuam docendi rationem. Idcirco conſultius duxit, ne illi fruſtra eſſent, animi ſui ſententiam adverſus eoſdem mature aperire, talia prolocutus in eadem illa Oratione: *Atque illud mihi maxime adverſatur, quod plerique rudiores, quam venerant, a ſtudiis redeunt humanitatis: ſine quibus mecum nemo certe profecerit, niſi, ut illiteratis placeam, cogar dediſcere meliora. Verum hanc, mehercule, mihi linguam prius exſcindendam dabo, quam te, ſancte literarius Pudor, proſtituam impuris auribus, aut ſuſceptam, cultamque mihi diu tuam, divine Cujaci, doctrinam & inſtitutionem, propter eorum imperitiam commutem, qui lucri non Juris artem arreptum veniunt; potiuſque, non modo munus qualecunque maximum, ſed & vitam depoſuero, quam rectam animi ſententiam, ſine qua in vita nihil mihi fuerit amabile. Procul igitur inculti omnes a me ſunto, profanamque mentem alio auferunto; neque ullus bonarum artium expers ad nos ingreditor.*

XVIII. Inter cetera incommoda, quae meliora diſciplinarum ſtudia remorantur, illud fuiſſe ſemper maximum, maximeque exitioſum, ajebat Gravina, adoleſcentes nempe ad aſſequendam veram ſapientiam non ad fontes ipſos, & ſedes doctrinarum, ſed ad rivos, atque ad immania vulgarium interpretum volumina traducere. Nam quo longius per interpretationes aliorum a primis auctoribus evagamur,

eo

eo turbatiores haurimus opiniones. Hinc nimia illa librorum copia, qua modo miſere obruimur, longe nos, doctorum hominum judicio, a ſincero diſciplinarum ſenſu abducit: quaque veteres deſtituti, & quo minus abundabant libris, eo Naturae arctius haerebant, animiſque ſuis diutius in rebus ipſis, quam in aliorum cogitationibus habitabant. Et hunc quoque adeo pernicioſum errorem, ut e mentibus ſtudioſorum evelleret, plures Gravina exhauſit labores, non modo quotidianis ſermonibus, ſed ſcripta etiam per idem ferme tempus Oratione, quam *De repetendis fontibus doctrinarum* inſcripſit. Monet in ea, doctrinas omnes a capite, ac fontibus ipſis hauriri oportere. Naturam ſcilicet rerum, naturaleſque cauſas ab ipſa philoſophia, & Platonis praeſertim inſtitutis; Jus Romanum a Juſtinianeis voluminibus; & germanam Theologiam, ſacraſque diſciplinas a ſacris Codicibus petendam eſſe. Ubi vero demonſtravit, ſincerum Apoſtolicae inſtitutionis, & Eccleſiae univerſae ſenſum non aliunde melius colligi, quam e lectione Canonum, qui Evangelicis ſenſibus, & Apoſtolicis Conciliorum vocibus contexuntur, occaſionem inde arripit eorum temeritatem increpandi, qui antiquas pietatis leges abrogare conantur: qui, *ne, reviviſcente antiquorum Canonum ſtudio, fraudis ſuae redarguantur, antiquitatem nituntur omnem vetuſtati detrahere, tanquam veteraſcere queat id, quod eſt aeternum ac temporis expers.*

pers, qualis eſt ſapientia, virtuſque divina; quae immutabilis cum ſit, de ſe ita praedicat: Dominus poſſedit me ab initio viarum ſuarum, antequam quidquam faceret a principio. Ab aeterno ordinata ſum, & ex antiquis, antequam terra fieret; *aut tanquam Chriſti praecepta, perinde atque eorum ingenia, temporibus & potentiae ſamulentur, vel tanquam recta ratio ſimul cum humanis moribus convertatur... An enim Eccleſia dimiſerit unquam ſuſceptum ſemel pietatis & juſtitiae ſenſum, qui divinae portio eſt, & immutabilis, immortaliſque naturae? An verſatilem nobis Chriſtus tradidit, volucremque doctrinam, ut quae Apoſtolorum tempore vera fuit ratio pietatis, ea mutatis moribus hominum dilabatur? An quia non amplius Eccleſia exigit a nobis exteriores illas poenas, ideo condonatos nobis reputabimus actus internae virtutis, quibus poenae illae reſpondebant, quique laborioſis eorum adſpectibus exprimebantur?* Atque in hanc ſententiam plura alia ediſſerit oppido ſancta, & Evangelicae doctrinae conſona, plenaque optimae frugis: ut nimis aegre ab hujuſmodi exſcribendis exemplis divellar. Quare verae ſapientiae, & ſincerae pietatis ſtudioſos ad ipſam Orationem delegamus, nonnulla interea afferentes de Caſuiſtarum benigniorum artibus, quas pro re nata acriter inſectatur auctor, eo praeſertim loco, ubi ait: *Abeant igitur ſuae cum doctrinae blanditiis noſtrates magiſtri, qui, ut ait Ennius*, ſui quae-

ſtus

ſtus cauſa fictas ſuſcitant ſententias, *quique abſtinentiae deſuetudine tenacius implicant animos rebus caducis, & negligentia poenalium operum in vita difficultates omnes coacervant ad tempus mortis, ut, cum hominem tamdiu prodiderint cupiditatibus, cogant eos contra dominos, & diuturnos ſuos poſſeſſores dimicare, poſtquam opes vireſque omnes longaeva mentis, & proxima corporis aegrotatione conſumſerit. Faceſſant a Chriſtianorum ſcholis fallaces illae diſtinctiunculae liquidorum & ſolidorum, quibus jejunium, reſtinguendarum cupiditatum remedium potentiſſimum, ſuſtulerunt, quibuſque, ut D.* Hieronymi *verbis utar,* abſtinentiae nomen quaeſivere deliciis; *ut audeant, o frontem hominum! praeter horas cibo ſtatutas permittere jejunantibus* Indicas *potiones, non modo contra jejunii naturam, & legem triſtitiae, nutrientes ac ſenſus oblectantes; verum etiam contra commune fas hominum vetitas cupiditates incendentes. Ultro a nobis abigamus fraudolentas illas honoris exaequationes cum vita, in quibus interpretes privatam injuriae ultionem inter Chriſtianos inducentes, patientiae legem penitus evellerunt.* Exulet *etiam, &* Pontificiae *vocis imperium aliquando vereatur opinio eorumdem illa, quae cum carnis uſu reliquam abſtinentiae obligationem exſolvebat.* Et paulo poſt: *Tu vero, noſter miſericors, qui aliis libenter indulges, ut largius indulgeas tibi ipſi, quo gratior ubique ſis, & proceribus praeſertim acceptior, dum verba legis teneas,*

neas, nihil pendis conſilium legislatoris; ut ſi quis extremam paupertatem hac formula imperaverit, pecuniam ne attingito, *tu noxam omnem amotam putes, dum quis manus a nummis abſtineat ſuas, dextera vero praeter neceſſitatem utatur, & opera miniſtrorum: quae ſi ratio valeret, nihil pauperius eſſet Regibus, atque Tetrarchis. Mendacium aliis noxium leges univerſae damnant: at tu, bone, confeſtim crimine liberas eum, qui verbum jaculetur anceps, ut audiens in fraudem inducatur, quaſi leges verba mendacii prohibuerint, non animum nixumque fallendi: nec tibi videris diſſoluiſſe legem, quando ſtatuentium voluntatem, hac praeſtigiarum arte fruſtraris, qua, ubi e re tua fuerit, nigra in candida continuo vertis, ac, juxta Aeſopicum illud, eodem ex ore frigidum & calidum efflas. Quamobrem vos ita notavit Comicus illis verbis:* (a)

Rogationes plurimas propter vos populus ſcivit,
Quas vos rogatas rumpitis: aliquam reperitis rimam,
Quaſi aquã ferventẽ frigidam eſſe ita vos putatis leges.

Atqui non ita Lacedaemonii divitiarum interdictionem a Lycurgo, neque mendacii prohibitionem a ſuis legibus Perſae acceperunt: Chriſtiani vero, qui exemplis innocentiae atque candoris populos ad nos olim traximus univerſos, nunc pro pudor! adeo affectionibus propriis puriſſimae, ac ſimpliciſſimae legis verba conturbamus, ut offuciis noſtris juſti atque injuſti di-

(a) *Plaut. in Curc. Act. 4. Sc. 2. v. 25.*

diſcrimen fere ab univerſorum oculis abſtulerimus. Sed nimium longum eſſet plura ejuſmodi monumenta deſcribere, quum ſolidioris ſanctioriſque pietatis exemplorum plena ſint univerſa Gravinae ſcripta.

XIX. Quae autem ſparſim in pluribus locis de meliori ſtudiorum regimine adnotaverat Gravina, ea in unum collegit, percenſuitque pluribus verbis in Oratione *De Inſtauratione ſtudiorum ad Clementem XI.* recens tum Pontificem Maximum creatum. In ea auctor vitia ſtudiorum retegere, & rationem ſingularum artium emendandarum, diuturnis cogitationibus a ſe collectam, pandere ſibi proponit. Atque utinam ea ſequerentur publici juventutis inſtitutores, ad quos illa diſciplinarum addiſcendarum cauſa confluit! non adeo paucos quidem e tanta multitudine redire voti compotes cerneremus. Nam quas indicat praeceptiones Gravina, plurimum abhorrent ab inſtitutis vulgarium ſcholarum, in quibus bene longam annorum ſeriem impendunt adoleſcentes, nec quidquam inde bonae frugis referunt, niſi egregie in omni vitae uſu inſanire: vel eo majore detrimento ac piaculo, quod non minus operoſe illa eadem dediſcere cogantur, ſi quando ad rectam litterarum intelligentiam velint venire: ut longe praeſtiterit nullas omnino delibaſſe litteras, quam profiteri falſas; tantoque labore ac impendio illis doctrinarum monſtris animum infeciſſe: quum crebriores errores ex variarum rerum confuſa

F co-

cognitione, quam ex earum ignoratione oriantur. Illarum prae ceteris ſcholarum perſtringit uſum Gravina, in quibus quae ad linguae Latinae intelligentiam requiruntur, Latine praebentur, atque ita obſcura per obſcuriora panduntur. *Quid enim abſurdius* (inquit ille) *quam petere lucem a tenebris, & linguae intelligentiam quaerere a praceptis eadem lingua nondum intellecta conſcriptis? cum naturalis rerum ordo poſtulet, ut ad obſcura per aperta pergamus, ac vernaculis vocibus regula illa tradatur, cujus ad aliam linguam aperiendam eſt uſus*. Quam Gravinae ſententiam magno conatu vellicandam ſuſcepit Hieronymus Lagomarſinius peculiari Oratione, quam pro inſtituto ſcholarum ſocietatis ſuae Florentiae recitavit; verum eo incepti exitu, qualem plerunque cauſae infirmitas ſequi oportet. Ad rectam quoque cupidae doctrinarum juventutis inſtitutionem pertinet Oratio *De Sapientia univerſa*, quam Romae habuit XIV. Kal. Novemb. CIƆIƆCC. In ea Gravina animo rependens id a majoribus fuiſſe inſtitutum & in more poſitum, ut ſingulis annis uniuſcujuſque ſcholae exordia generalis Oratio ad curſum ſtudiorum dirigendum, antecedat, ut ſtudioſis veluti lux praevia in ipſo veſtibulo doctrinarum affulgeat; idque ſibi haud ſegniter praeſtandum cupiens, eam ad juventutem cohortationem non minus jucunde, quam utiliter inſtituit. Igitur principio Orationis hiſtoriam veteris theologiae, ac philoſophiae aperit: tum or-

Digitized by Google

ortum, & ſtatum, inclinationemque doctrinarum omnium, earumque inſtaurationem indicat, duces quoque, & auctores magis idoneos recenſet, & quae obrepſerint vitia notat: ut noſcerent juvenes quid, quoſque ſequi e ſcriptoribus debeant, & quae declinare. Probat etiam ſinceram ſapientiam nullibi melius, quam in ipſa philoſophia inveniri poſſe. Haec in ipſo quaſi limine fuere Gravinae molimina & conatus, ut cultum bonarum diſciplinarum excitaret, ſimulque barbariae ſquallorem prorſus omnem e Romanae Urbis ſcholis detraheret. Indigne interim fremebant ſemidocti homines, & imperiti, qui litterulis ſuis inflati, verenteſque ne ab ea doctrinae fama exciderent, quam ſibi audacia ſua, & errore alieno pepererant, obtrectationibus, & calumniis ſaepe tentarunt ab inſtituto eum revocare.

XX. Sed hujuſmodi homines parvi pendens Gravina, eodem fere tempore Orationem ſcripſit, *Pro Romanis legibus ad Magnum Moſchorum Regem*. Paraverat eam Gravina, quum Petrus I. Moſchorum Rex, plurimis peragratis Europae regionibus, appetente anno CIƆIƆCC. iter Italicum moliretur: a quo tamen illo rebellione ſuorum revocato, erepta Gravinae ſpes eſt Orationem ſcriptam jam ei aut Romae, aut alibi in Italia dare. Proinde ubi Gravina extremam jam Italiam pervagatum Petrum tradit, id ſcilicet non perinde quaſi profectionem illam abſolviſſet; ſed ſola ſpe ſuſci-

piendi itineris, pronunciavit. Magna ejus Orationis pars Petri laudes complectitur. Poſt haec de legum Romanarum praeſtantia ac dignitate agit, quibus ſolis tumultuantes Rex ſuorum animos componere, humanitatem & honeſtatem in illis imprimere poſſet, ut ſenſim feritatem illam amittant, quam e moribus hominum nulla vis, nullus carnifex excuteret, niſi per Juriſprudentiam cognitio juris, ac juſtitiae perſuaſio metum poenarum antevenerit. Jus praeterea Canonicum, & Pontificias Conſtitutiones vehementer commendat: atque inde paulatim ac ſenſim deſcendit ad demonſtrandum Regnorum illius tranquillitatem ab evellenda opinantium de Religione libertate, atque a cooptanda Romanae Eccleſiae Fide unice pendere. *Etenim* (inquit) *ſicut humor a capite artus per omnes, ita Chriſtiana Religio ex una urbe* (Roma), *rerum humanarum & divinarum domina, facilius & celerius in reliquum Imperii corpus ad cunctos populos diffunderetur. Hinc nexus communis Imperii, quo univerſorum hominum ſocietas continebatur, duplicatus mirabiliter fuit communione Religionis, quae, cum profanam in ſacram auctoritatem convertiſſet, eam inermi Romae tribuit immortalitatam, quam vana ſibi ſpe veteres ab armorum potentia pollicebantur. Habent enim Romae ſacro ex hoc foedere populi communia munera, communes dignitates, & ipſam ſupremam ſacrorum poteſtatem communem. Habent & civiles Leges jure Pontificio muni-*

tas

Digitized by Google

tas & explicatas, ut, quidquid praeclari contineret Imperium, in Eccleſiam videamus eſſe translatum. Habent in conſpicuo rerum divinarum Arbitro Judicii ſecuritatem ad controverſias dirimendas, ac tranquillandas animas, fruſtra pacem in privata ſua vel alterius auctoritate quaerentes, & ad cohibendos civiles tumultus, quibus ex varietate Religionum regna quaſſantur, atque ad incertum vel popularem ſtatum revolvuntur, ſtatim ut unicus & ſummus Religionis interpres contemnatur. Habent poſtremo Romanae auctoritatis cultores praeter divina, quibus omnia ſubjacent, humana etiam bona, quorum ad culmen nihil profecto deeſſet, niſi deeſſes Tu, cum quo deſunt plurima. Etenim per unum hominem terrarum novum imperium, & Conſtantinum alterum acciperemus, ſi nobis complectendum dares te, non modo votis, verum & lacrymis omnium noſtrum vehementer expetitum, poſtquam tuo de beneficentiae fonte haurire coeperimus, tuoque munere ſacris noſtris in ditione tua locum, & iter ad Sinas impetravimus. Quibus etiam ſacris tu ſi, Deo coeptis adſpirante, ſublimem in excelſo animo tuo ſedem praebueris, qualem ſparſeris laetitiam inter Caelites, qui virtutibus tuis plaudentes, & clam noſtris oculis in occurſum amplexumque tuum deſcendentes, floribuſque ſternentes humum tibi calcandam, ad Matrem communem animarum, novum filium cum tot regnorum comitatu venientem deducerent, & cet.

XXI. Ab

XXI. Ab Jure civili ad Inſtitutiones Canonicas tradendas anno CIↃIↃCCIII. progreſſus eſt Gravina: in quibus pertexendis id praeſertim ſtuduit, ut omiſſis intempeſtivis atque verboſis quaeſtionibus, quibus ceteri nimis familiariter utebantur, certis principiis, quibus unice conſtare debent Inſtitutiones, ſuas componeret: breviterque in eis priſcam, mediam, & novam Eccleſiae complexus eſt aetatem. Praeter operam ſibi imperatam, hoc eſt, praeter quotidianam dictandi explicandique horam, & conſuetas repetitiones, ac diſputationes ex edicto praeſcriptas, labores quoque ſibi addidit voluntarios. *Anguſta enim* (inquit in Praefat. Inſtit.) *juſtitia eſt, quae intra legis verba continetur: nam longe ſupra leges ab hominibus conſcriptas in paginis, obligamur a legibus naturalis honeſtatis, a Deo Opt. Max. conſcriptis, ut D. Paulus docet, in animis noſtris: quibus, quantumcunque in nobis eſt, conferre monemur in utilitatem aliorum*. Igitur ſingulis diebus poſtquam enarraſſet quae ex ejus lectione exſcripſerant diſcipuli, exponebat illius argumenti primarium Canonem a ſe allegatum, ut a fonte ſuo Juris doctrinam petere auditores ſuos doceret. Praeterea, ubi res poſcebat, capita ſacri Concilii Tridentini, una cum ea Catechiſmi Romani parte, quae rem Sacramentariam comprehendit, interpretabatur. Ubi vero e ſuggeſtu deſcenderat, horae quadrantem auditoribus ſuis, ſive de Pontificio, ſive de Cae-

Caeſareo Jure interrogantibus copiam ſui faciebat. In ſolemnioribus vero vacationibus anteceſſorum, quos ordinarios vocant, ſuum *De ortu & progreſſu Juris civilis* librum, ſtatim poſt abſolutam illius diei praelectionem Canonum, eiſdem explicabat; ut eo opere quidquid eruditionis Romanae ad Romanarum legum, & veterum Juriſconſultorum intelligentiam exigitur, ſummo cum temporis & laboris compendio praenoſcerent.

XXII. Et quoniam litterarum ſtudia ad bene beateque vivendum, hoc eſt ad hanc, qua modo fruimur, vitam recte ſancteque inſtituendam, atque ad purum ſupremi Numinis, veraeque Fidei cultum referri omnino debent; non minore interea cura de diſcipulorum ſuorum pietate, deque optimo Religionis ſenſu laborabat Gravina. Nunquam enim eos a ſchola, ac praeſertim ſi quando diutius vacare a ſtudiis contigiſſet, ſine aliquo Chriſtiano praecepto ac documento, in quo ſe occuparent, dimiſit. Cujus rei gratia plurimas ſcriptitavit Dictiones, ſive Orationes, quae a Metaſtaſio aſſervantur; unamque ſolummodo in lucem edidit ſimul cum aliis Orationibus, quam ad ſuos juris Pontificii auditores habuit anno CIƆIƆCCIII. fer. II. maj. Hebdomadae, nomenque illi fecit *De Canone interiore*. Opere pretium erit ejus Orationis initium hic referre, ex quo reliqua intelligi facile poſſunt. *Veſtra, juvenes* (inquit) *in hoc Archigymnaſio aſſiduitas at-*

que modeſtia, veſtraque diſcendi cupiditas poſtulare videtur a nobis, ne proximis vacationibus vos abſque aliqua utilitate atque occupatione, ſtudio veſtro digna, dimittamus. Cum autem quotidie ſacros a nobis exterioris diſciplinae Canones accipiatis, decet ſane, ut, inſtantibus jam ſolemnioribus poenitentiae temporibus, recurrentibuſque annuis diebus funeris illius, unde .nobis beatae vitae proceſſit aeternitas, referatis hinc vobiſcum interioris diſciplinae rationem, ex qua quiſquis veſtrum ab ſtudio legum jus reddere aliis addiſcit, ſciat in poſterum, quod eſt longe difficilius, jus reddere ipſi ſibi, atque ab animo ſuo propulſare injurias corporis: quique totos dies a civili ſcientia docetur alios regere, norit, quod magis intereſt hominis, regere ſemetipſum, nec modo cum civibus, dum in hac vita mortali moratur, verum & cum propriis affectionibus tuto ac tranquille ad beatam ſpem immortalitatis habitare. Quid enim prodeſt tribuiſſe cuique ſuum, exteriorique juſtitiae uſu compoſuiſſe lites alienas, quando animi noſtri litigiis diſcindimur, & nobiſcum perpetuam injuſtitiam exercemus, tradentes mentem in corporis poteſtatem, iramque, atque cupiditatem ſupra rationem attollentes, permutatis contra Naturae legem ſingularum facultatum officiis? Atque in hanc ſententiam Orationem proſequitur, ſummaque eloquentiae vi omnem Chriſtianorum pietatem ad has praeſertim virtutes, nempe caritatem inter homines, humilitatem, ac patientiam

tiam referendo. Cavendumque admonet a Phariſaeorum ſimulata pietate, in quibus erat foris compoſitus pudor, intus ſumma adipiſcendi libido. Huic Orationi vir ſummus Gottfridus Maſcovius in Academia Gottingenſi Juris Profeſſor in ſuis ad eamdem Orationem Notis, principem inter reliquas locum tribuit, adeoque ſanctam, & plenam optimae frugis exiſtimavit, ut dignam duxerit, quae ſtudioſis hominibus legenda daretur antequam ad reliqua ſtudia accedant.

XXIII. Gratiani praeterea Decretum, ut vocant, in eodem Archigymnaſio docuiſſe, admonet nos alia ejus Oratio *De foedere pietatis, & doctrinae ad ſuos Gratianei Decreti Auditores*. Animadvertit in ea Gravina, quemadmodum Julianus Caeſar bellum Chriſtiano populo multo exitioſiſſimum movit prae ceteris aliis Chriſtianorum hoſtibus; quippe qui ignorantia & caligine ingeniorum Chriſtianam ſapientiam obruere, clauſis ſcholis, nitebatur; ita nunc imprudenter atque ignoranter, ſimili qua Julianus via, ab indoctis quibuſdam novae pietatis ſimulatoribus Chriſtianam Religionem nefario bello impeti, qui non opibus in pauperes effundendis, neque abſcindendis cupiditatibus, honoribuſque declinandis; ſed flectendis cervicibus, unaque calumniandis melioribus, Graecarum, ac Latinarum litterarum, poetarumque odio & exilio, ignarum ſibi vulgus attraxerunt. At hos, qui profanos auctores e manibus

adoleſcentium abſtrahunt, intellexiſſe oportet, ſe virtutes, non vitia illis eripere, ea longe uberius haurientibus e ganeis, & luſtris, & ſpectaculis, & commeſſationibus, & alea, quae vitia juventutis ingenia noſtra hac aetate maxime tenent: *Pro quibus ſi occuparentur in poetis, praeter eloquentiam & eruditionem, quam inde carpſerint, cognoſcendis poetarum aegritudinibus, atque moleſtiis, carmine illorum expreſſis, alieno labore cavere ſibi diſcerent a voluptatibus illis, ad quas imperitia plerumque ferimur, & ignorantia periculorum. Quas poetarum utilitates minime contemſerunt veteres Eccleſiae Patres, ex quibus Chryſoſtomus, & Hieronymus, alter Ariſtophanem, alter delicias meas Plautum pulvinari ſuo ſubjiciebant, ut ex his leporem illum, atque facundiam, quam ſcriptis ſuis reddiderunt, aſſidue haurirent, indeque ſagittas illas eloquentiae peterent, quibus Chriſtianorum hoſtes configerentur. His facultatibus deſtituuntur noſtri adoleſcentes, dum avelluntur ab optimis poetarum*. De Gratiani deinde Decreto pluribus diſſerit, ac docet, quamvis ille tenebris merſus temporum commentitios Canones haud paucos obtrudat, temporumque, ac rerum confundat ordinem; omnem tamen ab eo non exteriorem modo, ſed interiorem diſciplinam fluere, & cognitionem munerum ſacrorum; floreſque ſanctorum Patrum omnium decerpi utiliores ad publicam, & privatam emendationem morum. Contendit denique id curan-

randum eſſe Romanae Curiae miniſtris, ſi ſe humanarum divinarumque rerum cultores, & moderatores praeſtare velint, *morum ſeveritatem, doctrinaeque integritatem ex Apoſtolicis repetere temporibus, & exemplis, & ſcriptis; prudentiam vero civilem ex univerſa memoria rerum a majoribus, ſupra mortalium opinionem, geſtarum, ad praeſentem utilitatem uſumque transferre; juſtitiam tandem ad Eccleſiarum, populorumque praeſentium regimen evocare de Gratianeis priſcorum Canonum, & Juſtinianeis Legum voluminibus: quo non modo inimicos exarmemus noſtros, & libertatem retineamus, majorum virtute partam, & Pontificum auctoritate confirmatam; ſed etiam ad Romanam poteſtatem, & fidem, atque ad ſpem ſalutis aeternae revocemus eos, qui antea quidem ſe ſubtrahentes, ditionem noſtram extenuarunt; nunc autem exultantes, & opibus ferocientes, iis graviorem ſervitutem parant, quibus olim ſe paruiſſe indignantur*. Hae ſunt ſeptem Gravinae Orationes, ad morum ſimul & litterarum emendationem, ac regimen pertinentes, quas lucifugi ac veſpertiliones, ne fraudis ſuae aperte coarguantur, aeterna, ſi poſſent, oblivione damnarent. Eam autem Orationem, quam in Epiſtola ad Henricum Huyſſenium ipſe numero quartam recenſet pro novis Philoſophis, inter Gravinae ſcripta reperire nobis adhuc non licuit.

XXIV. Paraverat Gravina ſibi amicitiam ejus,

quem modo memoravimus, Henrici Huyſſenii, magni apud Germanos nominis, qui rerum Romanarum curioſus ab eo expetierat, ut Pontificis Maximi res geſtas ſibi mitteret. Igitur quum Clemens XI. Pontifex Max. xvi. Kal. & vii. Idus Junias CIↃIↃCCVI. S. R. E. Cardinales elegiſſet, Gravina eodem anno morem petenti geſſit, illi deſcribendo Acta eorum Comitiorum e Conſiſtorialibus deprompta monumentis. Extollit in eo Commentario Gravina egregias Pontificis virtutes, ejuſque in primis moderati animi praeclarum exemplum, qui, univerſo Cardinalium Senatu rogante, ut Annibalem Albanum, germani fratris filium, adoleſcentem magna & virtutum, & diſciplinarum commendatione praeſtantem, inter Cardinales adlegeret; nullis precibus deliniri potuit, ut praeteritis aliis ſummis viris, ejus rationem haberet. Refert praeterea admirabilem illam, & perquam raram vel in ſacra hiſtoria Gabrielis Philippuccii Maceratenſis ab oblata praeclara dignitate Cardinalatus abſtinentiam. Is enim quum comperiſſet ſe a Pontifice in albo Cardinalium eſſe relatum, ſummis viribus adniſus eſt eam ſortem a ſe per ſummae auctoritatis Cardinalem Mareſcottum ſcripto deprecari. Adeo ut metuens auctoritate Pontificia ſibi praecluſum iri fugam, veluti de caelo tactus conciderit, febrique correptus non ante convaluerit, quam Pontifex conſultis Patribus, ea trepidatione illum liberaſſet. Quo nuncio do-

Digitized by Google

doctiſſimus Archiater Pontificius Johannes Maria Lanciſius, ad aegrum curandum miſſus, morbum confeſtim cedere animadvertit, ut ſenem illum, quem ſemianimem invenerat, poſt hunc nuncium viderit prope juveniliter exilientem.

XXV. Interim abſolverat jam Gravina Romani Juris Origines, ad quos exponendos jam pridem praecipuam curam ac ſtudium contulerat. Ejus Operis primus liber Neapoli primum prodierat anno cIↃIↃCCI. cum hoc titulo, *Jani Vincentii Gravinae de ortu & progreſſu Juris Civilis liber, qui eſt Originum primus*. Petentibus deinde multis, ut liber lectu digniſſimus in gratiam potiſſimum Germanorum, Germanicis typis ederetur; eam curam ſuſcepit Joh: Fridericus Gledifſchius, typiſque ſuis Lipſiae edidit illum anno cIↃIↃCCIV. Ut primum is liber in vulgus editus eſt, ſcribit Burchardus Menckenius, Gloditſchii ſocer, in epiſtola ad Gravinam, certatim fere Germanos Juriſconſultos, avideque illum excepiſſe, exceptum commendaviſſe, commendatum privatis publiciſque ſcholis propoſuiſſe atque explicaſſe; ſuorumque auditorum commodo atque utilitati optime conſultum ratos fuiſſe, ſi tantum ea, quae in Gravinae libro continebantur, voce & ſcripto tradidiſſent: quod haud ſcio an ſuperſtiti adhuc auctori ulli unquam contigerit. Illud ſatis conſtat, honorificentiſſimum id Gravinae fuiſſe, plurimamque ob eam rem iniiſſe gratiam a Germanis,

nis, apud quos juriſprudentiae ſtudium ſuum obtinet pretium. Univerſi trium librorum operis ſcripta ſubinde Gravina per eumdem illum, quem ſupra memoravimus, Henricum Huyſſenium, miſerat Menckenio, qui auctori per litteras ſpoponderat, ſe diligenter curaturum, ut Opus integrum tribus libris diſtinctum poſt paucos menſes, quam liber ille primus anno CIƆIƆCCIV. excuſus fuerat, typis ſuis quam emendatiſſime prodiret. Verum prohibuere id Sueci, qui facta in Saxoniam irruptione rem litterariam perverterant, moratique certe ſunt, quo minus ante annum CIƆIƆCCVIII. excudi integer liber potuerit. Curante itaque Joh: Friderico Gleditſchio univerſum Opus tribus ſeorſim libris in 4. uti vocant, primum Lipſiae praelum ſubiit anno quem ſupra indicavimus; in qua editione etſi nec typorum nitor, nec chartae munditics deſideretur; plurima tamen σφάλματα irrepſiſſe, plurimaſque contraxiſſe typographicas maculas, ut raro liber ſenſus efferret integros, & aliquando etiam auctori contrarios, dolet Menckenius. Tandem melioribus auſpiciis, duobus voluminibus item in 4. editi *Originum* libri ſunt Neapoli anno CIƆIƆCCXIII. quibus nomen inditum eſt *Jani Vincentii Gravinae Originum Juris Civilis libri tres ad Clementem XI. Pont. Max.* Qui libri ea nova editione, quamvis inſtituta & perducta, etiam Gravina abſente, benevolentia tamen, & fide doctiſſimorum amicorum, in impreſſionem illam incum-

cumbentium, omnem exuere labem, & ad nativam lectionem atque integritatem rediere ſuam. Ea inſuper editione tribus prioribus libris contexuit librum ſingularem *De Romano Imperio*, Opus immortale, ac par Romani Imperii dignitati.

XXVI. Hos Originum libros quanto favore & plauſu doctiores omnes exceperint, Acta Eruditorum Lipſiae jam inde ab anno CIↃIↃCCIV. & CIↃIↃCCVIII. abunde teſtata ſunt: quae uſque eo auctoris induſtriam, & eruditionem laudibus extulere, ut ſupra addi nihil certe poſſit. Scipio autem Maffejus, minime vulgaris eruditionis vir, epitomen, ſive compendiariam notitiam ejus Operis in vulgus emiſit, quae ingenti cum Gravinae nominis gloria, ac laude divagata eſt; legiturque tum in Ephemeridibus Italicis ad annum CIↃIↃCCXI. tom. VI. art. I. tum inter ipſius Maffeii ſoluta oratione opuſcula vernacula. Quanquam vero liber ille eruditorum omnium commendationem, aequumque tulerit judicium, ut jam decies eoque amplius ad haec uſque tempora, per totam Europam typis impreſſus reperiatur; nulla tamen deinceps erit aetas, in qua majores non conſequuturus ſit laudes. Fuere certe non pauci, neque obſcuri nominis Juriſconſulti, qui id argumenti genus magna cum ingenii laude pertractarunt, inter quos longe eminet integerrimi judicii vir Jacobus Gothofredus: praeripuiſſetque ſane poſteris palmam, ſi univerſum opus abſolviſſet, atque ex omni parte de-

Digitized by Google

dediſſet perfectum. Cui etſi Gravina ſcriptorum copia & varietate cedit, vincit certe eum & perfecti ejus operis gloria, & miro rerum ordine cum perſpicuitate conjuncto, tum eloquentiae vi, & ſententiarum pondere. Etenim non meo, quod nullum eſt, ſed doctiſſimorum hominum judicio & ſententia, nihil eſt ex omni antiquitate tam reconditum, nihil quidquam in legibus tam implicatum aut tortuoſum, nihil denique inter celebriores Juriſconſultos tam diſcrepans ac diſſonum, quod non dilucide feliciſſimeque explanet, ac reſtituat. Tum illa omnia peregit Gravina eo orationis nitore ac majeſtate; ut priſcam illam videatur revocaſſe dicendi rationem, ac beatiſſimum Auguſti ſaeculum. Praeterea haud ſcio an alius quiſquam tam luculenter, tam apte leges univerſas, ac Principum Imperium a ſanctiori retruſiorique philoſophia eruerit; ut per tenebricoſum iter, & opinionibus obſeptum ab ipſo Naturae fonte veritatem protraheret in lucem, ordinateque locis ſuis adtribueret. Etenim reconditas veterum philoſophorum ſententias per univerſum opus ita diſſeminat, Chriſtianiſque inſtitutis ac legibus Romanis adeo venuſte appoſiteque accommodat, ut nihil excogitari queat neque doctius, neque utilius, neque jucundius.

XXVII. Attamen fuere nonnulli, qui id Gravinae crimen exprobrarunt, quod, quum multa a Cujacio, Gothofredo, Manutio, Sigonio hauſiſ-

ſet,

Digitized by Google

ſet, illorum tamen ne nomen quidem appellaverit. At hi certe alterutrum fateantur neceſſe eſt, vel Gravinae ſcripta numquam in manus ſumpſiſſe; vel meliores carpendi livore improbo ſe agi tranſverſos. Nam ſi vel leviter librum aſpexiſſent, comperiſſent profecto, Gravinam, quum orationem in ſuis *Originibus* adhibuiſſet continuam ac perpetuam, ideo ſuccum quodammodo expreſſiſſe e veteribus auctoribus, inque orationem ſuam tranſtuliſſe; teſtimonia vero, & auctoritates conjeciſſe in margines, ut unde rem ſumpſiſſet, appareret. Quod ipſe aperte atque ingenue faſſus eſt Cardinali Franciſco Pignatello in ſua Epiſtola, quae cum aliis extat in bibliotheca Seminarii Neapolitani (a). Praeterea conceptis verbis teſtatur in Praefatione, Cujacii, & Gothofredi junioris ſcripta ſane graviſſima plurimum ſuo operi contuliſſe. Cujacio certe majora fortaſſe tribuit, quam par erat: *Neque enim aliquid ignorare per illum, neque ſine illo diſcere quidquam* licere affirmat; ſeque *vix Cujacio praeceptore* dignum exiſtimat. Et Jacobum Gothofredum *abſtruſa eruditione, ſelectaque ſcientia juris, judiciique integritate*, non dubitavit ſecundum a Cujacio Juriſconſultum vocare. Manutium vero principem appellat Romanae antiquita-

H tis

(a) Verba Epiſtolae ſunt: *Nelle opere mie legali per neceſſità della materia, che non ſi può produrre da ſe, ci han parte gli altri Autori; nell' Orazioni ſolo io. E perciò come fiore della mia debil mente, ho quelle riſerbate per dedicarle a V. E. giacchè nè io poſſo farle maggior dono; nè Ella gradirebbe altro dono, che d' intelletto.*

tis (a). Quinetiam ubi Bartolum a ceterorum maledictis defendit, minime imitari ſe eruditos quoſdam profitetur, *qui cum ipſi raro meliora praeſtent, aliorum benefacta ob quodlibet peccatum obliviſcuntur*. Quod ſi aliorum Scriptorum eruditione cum judicio, & rerum delectu uti, id demum crimen erit; ſciant, profecto, ne fruſtra ſint, Gravinam non fabulas, neque artem nugatoriam egiſſe, ſed rem ad hiſtoriam maxime pertinentem pertractandam ſuſcepiſſe, origines nimirum Juris civilis, in quibus res a veteribus acceptas exornare, veras a falſis ſecernere licebit; ſuo cujuſque arbitratu effingere, & excogitare numquam licebit.

XXVIII. Itaque ſicuti aequitatem univerſae Europae celebriorum Juriſconſultorum admiror, qui praeclari operis laudem Gravinae minime eripiunt, neque unquam, niſi honorificentiſſime eum appellant; ita ſtomachum mihi facit unius Joſ. Aurelii de Januario inclementia ne dicam, an potius immanitas? qui quavis ratione dente aſpero corripere Gravinae Origines conatur. Referre hic verba ipſa non pigebit ex ejus Reipublica Juriſconſultorum (b): *Janus Vincentius Gravina fuſius, & quadam elegantiori methodo tractatum hunc* (de Origine Juris) *peregit, fervidiſque adoleſcentibus praecipitanter in ſtudiis ſuperbire cupientibus, facillimam per prima ſtudiorum exordia viam ſtravit; ſed in hac Republica plauſu,* quem

(a) *Orig. lib.* I. *cap.* XVII. (b) *Pag.* 271.

quem ipſe pro ſuo pruritu ſperabat immenſum, ſi non omni prorſus caruit, votis tamen longe minori uſus eſt: hoſtem enim ſane non contemnendum nactus eſt, Jacobum Gothofredum, qui omnia ab operibus ſuis ſubtracta commemorabat. Adverſarii Gravinae, forte quia ab eo olim appellati faex litteratorum, *Gothofredi querelam magnifice extollebant; propriamque aliena auctoritate ulciſcebantur injuriam: Gravina hoc accepto nuncio, non multum indoluit, ſive ut patientia adverſarios molliret, ac veritati cederet, cui vim inferre non feliciter ſuccedit; ſive, ut ſuſpicor, ne quem alium excitaret, qui amarulento carmine ipſum, ut olim evenerat, truculentior impeteret.* Hujuſmodi obtrectandi argumentum, ut Gravinae exiſtimationem ne leviſſime quidem diminuit, ita in auctorem ſuum unice recidit. Etenim is Juriſconſultorum πολιτευτὴς, ſi ſibi conſtare voluiſſet, (ut leviſſime dicam) quoniam tantae ſolertiae ſe hominem profitetur, ut vel in ſcirpo nodum inveniat, poterat Gravinae furtum & plagium, quaeque ex Gothofredi ſcriptis expilaverat, integris locis allatis, palam facere. Id enim optandum prorſus erat, ne aliorum ſcripta naſute diſtringens, ſimpliciores in errorem induceret: ac niſi de ſe velit praedicari, quod de iis dici ſolet, *qui ut putentur ſapere, Caelum vituperant.*

XXIX. Sed ne litteris & otio abutamur in confutanda hujus auctoris Republica, reliqua Gravinae ſcripta recenſeamus. Suum de Romano Imperio

Commentarium ad Auguſtulum uſque deduxerat. De variatione autem Romani Imperii a Carolo Magno, & a Germanici Regni miſtura, peculiari tractatione diſſerere ſtatuerat, quum ſylvam rerum ex idoneis auctoribus, & e Civilis, & Pontificii juris interpretibus, longo gravique labore collegiſſet. Tandem circiter annum CIƆIƆCCXVII. opus jam abſolverat, ex primi libri *De Romano Imperio* principiis neceſſaria conſecutione deductum, nomenque illi indiderat, *De Romano Imperio Germanorum*. Quo opere nihil ſcripſiſſe ſe ajebat, quod ad publicas eorum temporum controverſias referret pluris; eaque arte, atque cautione contexiſſe, ut veritatis, & partium offenſionem una vitaret: ejuſque editionem ad adventum Emmanuelis Martini differre propoſuerat, qui per id ferme tempus ex Hiſpaniis in Italiam ſe transmiſſurum ſpem fecerat. Cum eo enim rationes ſuas communicare magnopere expetebat Gravina, cujus animi integritatem ſaepe in dubiis rebus ſibi ſubſidio fuiſſe noverat: confidebatque nodos omnes, quos forte ille propoſuiſſet, ex ejuſdem operis, aut expreſſis, aut abditis ſententiis ſe ſoluturum. Vix enim quidquam in mentem vel illam Martini acutiſſimam cadere rebatur, quod non aliqua particula, vel clauſula occupatum inveniretur. Quae tamen opinio Gravinam fefellit. Martinus enim quum labente jam vere ejus, quem ſupra indicavimus, anni Romam repetiiſſet, librumque Gravinae examinandum

dum ſuſcepiſſet, non dubitavit mature illi denuntiare, nihil opus eſſe, ut in vulgus emittatur, propterea quod in re periculi, & diſcordiarum plena omnino verſetur, iis praeſertim temporibus, quibus univerſa Europa immani bello ardebat. Gravina enim eo tractatu nonnulla de Germanorum Imperio attingebat, quae eorum temporum conditioni minus erant accommodata. Quare ille non deſtitit Gravinam etiam atque etiam orare, ne ſe turbulentiſſimis illis temporibus incommoda aliqua ſuſpicione implicaret. Praeſtare ſibi conſulere, & ſuae exiſtimationis rationem habere: cavere ne ſtultitiae fama multetur, quum liber ille non tam intereſſet, quo animo ſcribatur, quam quo accipiatur: quid enim juvat eum ſapere, ſi ipſi ſibi prodeſſe nequeat? Proinde optimum factu eſſe, de alia prorſus re in praeſentia cogitare; ejuſque edendi libri conſilium in aliud tempus differre. His adhortationibus Martinus hominem quietis, & recti conſilii ſtudioſum facile ab eo edendo opere deterruit. Minime quippe paſſus eſt Gravina hominis amiciſſimi, & multis in rebus ſpectatae jam, ac diu cognitae fidei, Emmanuelis Martini, in ſe verba amantiſſima fruſtra cadere; cujus ſapientiſſimis monitis obtemperaſſe ſe nullo unquam tempore poenituerat. Ita eum ſubinde Tractatum manu deſcriptum, una cum reliquis fortunis ſuis, Petro Metaſtaſio reliquit, apud quem nunc extare pro certo affirmant. Quanquam ve-

vero Gravina de Lege Regia in primo *Originum* libro, & pluribus verbis deinde in libro *De Romano Imperio* diſſeruerat; tamen ſcripſiſſe inſuper peculiarem commentarium eo ſuper argumento, conjici facile poteſt. Ex cujus ſchedis profeciſſe videtur vir eruditiſſimus Leopoldus Metaſtaſius in ſuum de Lege Regia Tractatum concinnando; ſecundum ea quae auctor ipſe in praefatione ejus operis innuit, inquiens: *Quae res etſi facilis ſit, ut jam probet, confirmetque tritum ſermone proverbium, non tamen inutilis, aut omnino contemnenda videtur his, qui facile intellexerint minime Scriptorem, parvo hoc labore, hominum laudes quaerere, ut, qui ultro fatetur, ne forte Fabia Lege de Plagiis, aliquando arguatur, pleraque multa ab ipſo Gravina accepta in ſua tranſtuliſſe, atque ita opuſculum locupletaſſe, ut noſtra legentes eruditiores facillime colligent.*

XXX. Etſi autem ex his editis libris egregiam laudem apud doctos omnes conſecutus jam eſt Gravina, non minorem ſane gratiam, & gloriam tulit, feretque ſemper ex eo, quem inſtitutionis ſuae egregium dedit alumnum, Petro Metaſtaſio. Hunc apud omnes ſatis conſtat in Gravinae diſciplinam & fidem caſu deveniſſe; quin etiam quidquid ſive doctrina, ſive gratia, ſive opibus valet, valet certe plurimum, uni Vincentio Gravinae acceptum referre debet: quod quidem grata animi ſignificatione ab eo indicatum invenio in quodam Italico Carmine,

ne (a). Sed ab initio rem, quemadmodum geſta ſit, ordiamur, ea tantum prodentes, quae ab altero Gravinae diſcipulo & contubernali non ita pridem accepimus. Olim tonſor quidam dum Gravinae barbam raderet, ut eſt hominum genus admodum loquax, forte narrabat, ſe ex adverſo tonſtrinae ſuae non longe ab Aede Vallicelliana, prima nocte pluries audiviſſe puerum quemdam extempore verſus canentem, ut mos multorum, adeo venuſte & lepide, ut audientium plauſus excitaret. Non ita multis diebus poſt Gravina ad eam forte horam locum illum, quem tonſor indicaverat, praetergrediens; haud procul canentis vocem auribus excepit: quumque adjiciens animum ad tonſoris narrationem, propius acceſſiſſet, ut jam ſententias, & verſus integros perciperet, pueruli ingenium, ſupra quam ejus aetas ferebat, admiratus eſt: nondum enim is duodecimum annum exceſſerat. Interrogat nonnulla puerum Gravina, deque ejus parentibus percunctatur. Ille omnia praeſenti animo, atque ordine expedit. Aderat eo in ſermone illius pater, quem poſtremo una cum filio domum ſuam invitat Gra-

(a) *Titulus poematis eſt*: La Strada della Gloria, Sogno, *ubi ſic Gravinam vita jam functum alloquitur*:

E diſſi, ah Padre, che ben tal mi ſei,
Se poichè mi laſciaſti in abbandono,
Soſtegno, e guida, ahi laſſo, in te perdei.
E ſe quanto conoſco, e quanto io ſono,
Fuorche la prima rozza informe ſpoglia,
Di tua man, di tua mente è tutto dono.

Gravina in poſterum diem. Illi ambo, nec dum ſuſpicantes quale eſſet ignoti hominis conſilium, accepto antea aedium indicio, mane ad eum veniunt. Gravina quum haberetur, & eſſet ingeniorum peracutus aeſtimator, varie inquirendo ac perveſtigando protinus illius aptum ad artes optimas agnovit ingenium, quodque plurimum in litterarum ſtudiis proficere poſſet, ſi quem idoneum nanciſceretur inſtitutorem. Igitur de parentis voluntate puerum impendio ſuo in cujuſdam ludimagiſtri diſciplinam primum dedit. Deinde vero, poſtquam apud eum minus ex ſententia illum litteras addiſcere perſpexit, Gravina, patre ad ſe advocato, eum rogat, vellet ne filium ſuae curae edocendum penitus tradere. Quo ille poſſe nihil ſibi gratius accidere affirmans, libenti animo morem petenti geſſit, ſuumque filium ejus fidei, ac beneficientiae commiſſum demandavit. Sic Gravina illum a parvulo eduxit, aluit, & non ſecus quidem amavit ac filium. Erat illi nomen *Petrus Trapaſſus*, quod poſterius Graeco vocabulo vertit in Μεταστάσιον, Latine dixeris *Tranſitivum*. In quo inſtituendo in id praeſertim omni cogitatione incubuit, ut adoleſcentem optimo genere poeſeos, omnibus ante idoneis diſciplinis expolitum, erudiret: palamque dictitabat, Metaſtaſium aliquando univerſae Europae admirationi fore. Quam ſententiam ſecuta hominis dignitas comprobavit: ſiquidem poetam illum noſtra hac aetate in ea, quam

ſibi

ſibi ſumpſit ſcribendi ratione, omnes ante ſe poetas facile ſuperaviſſe, nemo ibit inficias: in cujus ſcriptis neſcias utrum egregias illas ſententias ex intima philoſophia depromptas potius admireris, an verborum, numerorumque majeſtatem, & ſuavitatem. Dignus praeterea habitus tanti praeceptoris alumnus, qui cum optimarum diſciplinarum ſcientia, morum quoque innocentiam, pietatem, modeſtiam, animique moderationem conſociavit.

XXXI. Illud etiam divinum reſponſum magna diligentia coluit Gravina, quo monemur, non debere nos operam noſtram aliis denegare, ſi aliqua re eos juvare poſſimus. Itaque nemini litterarum ſtudioſo domum ſuam non patere unquam paſſus eſt. Ventitabant propterea ad eum complures doctrinarum cupidi adoleſcentes, ii praeſertim, qui addiſcendae juriſprudentiae gratia ſub illius diſciplinam ſeſe contulerant; quos Gravina tanta benevolentia proſecutus eſt, ut demum ex his Petro Metaſtaſio heredi tres ordine ſubſtituerit. Et in omnibus bonarum artium ſtudiis, prout cujuſque ingenium ferebat, nulla mercede, humaniſſimeque erudiebat, propoſitis praeſtantiſſimorum auctorum exemplaribus, Platonis praeſertim dialogis, in quorum commentatione praecipuam operam collocabant; edicebatque paſſim Gravina, ex eo philoſopho ſingularum doctrinarum ſemina abunde erui poſſe. Illi vero brevi temporis intervallo uſque eo aucti ſunt,

ut eximium coetum, ſive Academiam conſtituerint: ad quorum exercitationes, recitationeſque doctiſſimus quiſque accedebat. Ac nemo ex Tranſalpinis (qui frequentes Romae diverſantur, eratque jam apud eos magnum Gravinae nomen) ad Urbem appulit, quin hujuſmodi Academiam, & Gravinam ipſum conveniret. In eo coetu moris erat Academicorum, tum Romanam & Graecam, tum Sacram eruditionem pertractare: quarum materiarum ſive argumentorum libellum manu exaratum non ita pridem conſpicere nobis licuit apud Leopoldum Metaſtaſium. Concinnatus porro is liber adamuſſim eſt, ea ratione ac forma, qua Pontifice Max. Benedicto XIV. Pontificii Academici in ſuarum exercitationum argumentis conſcribendis utebantur: quam Academiam, quae tunc temporis in aedibus collis Quirinalis coram ipſo Pontifice, magno cum rei litterariae emolumento habebatur, ab illa Graviniana ſuam traxiſſe originem nonnulli mihi teſtati ſunt.

XXXII. Interim ſequuta eſt Arcadum Academiae, de qua ſupra enarravimus, diſſenſio, quae pluribus certaminis, & contentionis materiam obtulit. Ejus cauſam & initium repetunt quidam jam inde ab anno CIↃIↃCXCVI. quo tempore Gravina, quum in promulgatione legum Arcadicarum, uti etiam ſuperius demonſtratum eſt, Orationem pro eiſdem legibus habuiſſet, nonnullis viſum eſt in ea plus ſibi illum tribuiſſe, quam par erat; atque non ſecus egiſ-

egiſſe, ac ſi leges ſuo marte ex integro finxiſſet. Quorum vanas expoſtulationes, & querimonias repuliſſe jam ipſius luculentiſſimis Orationis verbis putabat, ubi inquit: *Nihil hic alienum, nihil extrinſecus arceſſitum: ſed quidquid eſt, totum introrſum latebat, & ex nobis ipſis petitum, ejuſque ſenſus e veteribus veſtris commentariis fuit evocatum.* Neque ullum verbum inveniri poteſt, quo ſibi uni conſcriptarum legum laudem arroget. Nihil tamen minus muſſitantibus quibuſdam, Gravina, quo erat miti ingenio, ut ſuſpicionem omnem amoliretur, non dubitavit *Declarationem*, ut vocant, ea ſuper re Arcadiae coetui ſcripto conſignare, in qua inter alia inquit: *At ne quis haec ex me nata eſſe credat, tribuatque mihi, quod minime contendo; nihil ex noſtro cenſu protulimus, aut veteribus inſtitutis addidimus; ſed tantum ex Arcadicis commentariis, in quibus quadraginta monitorum capita vernacula, & longiori oratione praeſcripta erant, eruimus.* Haec ab homine humaniſſimo, & a jurgiis alieno facili negotio elici potuerunt; quippe qui laureolam neutiquam in muſtaceo quaerebat. At ſi aequi rerum aeſtimatores eſſe velimus, non video, cur Gravina auctor conditorque Arcadicarum legum dicendus non ſit. Neminem quippe ire inficias crediderim, longe plus qui ex immani illa monitorum ſtrue, contracto verborum ambitu, leges adeo perſpicuas atque elegantes eruerit, & ad priſcum legum exem-

plum adeo lepide concinnaverit, tribuiſſe; quam qui prima illa incondita monita inconſulte conſtruxit. Quod ſi veterum exemplis rem comprobare velimus, ſuppeditabit nobis luculentiſſimum exemplum Hiſtoria Romana Titi Livii, apud quem Ap. Claudius, legibus ſcribendis Decemvir *Leges ſuas* commemoravit; ac rurſus C. Claudius fratris ſui filium eumdem Ap. Claudium *legum latorem, conditoremque Romani Juris*, in ipſo Romanorum foro, & conventu appellavit; qui tamen leges minime ſuo arbitratu condiderat; ſed quas ex Graeciae civitatibus Legati Romam attulerant, una cum aliis novem Collegis deſcripſerat, inque Latinam linguam verterat (a). Quam rem optime perſpexerat Tyrrhenus Lacheaticus Arcas, cui quum Arcadum coetus, dum haec ferme agerentur, negotium dediſſet, ut Arcadicae Academiae hiſtoriam Latino ſermone, quem probe ille callebat, ſcriberet; rem is ita enarravit, ut meritam Gravinae laudem minime denegaret; de quo inter alia inquit: *Hic legibus X. rem totam abſolvit*. Quae hiſtoria legitur modo in Arcadiae tabulario, ſive, ut vocant, *Serbatojo*; neque unquam in vulgus edidere Arcades: a quo enim patrocinium ſibi ſpoponderant, averſam potius, tametſi juſtam tulere ſententiam. Atque inde odia, & ſimultates ortas fuiſſe, eaſdemque Gravinae, ſuiſque omnibus ſi non potiſſimam cauſam tribuiſſe, plurimo-

(a) *Liv. Lib.* III.

morum certe animos exacerbaſſe, atque ad ſeceſſionem diſpoſuiſſe, narrant.

XXXIII. Seditionem demum maturavit quaeſtio ac diſſenſio de legum interpretatione orta, quae diſtraxit penitus ſtudia Arcadiae, vehementerque accendit juvenum animos. Annus agebatur hujus ſaeculi undecimus, quum *Eulibius Brentearicus* Arcas, juvenis impiger, atque eruditione, & poetica facultate apprime clarus, ad coetum Arcadiae jure legis I. provocaverat ob violationem legis III. *Sex in orbem eligito*. Nam adlectus nuper in Collegium Duodecimvirorum, ſive Collegarum Cuſtodis, Arcas quidam fuerat, qui alias eo magiſtratu functus jam erat. Igitur quaeri coeptum, an ex clauſula legis tertiae, *In orbem eligito*, liceat ſemel vicem ſuam functum collegam, praeteritis idoneis aliis nondum electis, iterum eligere. Cujus controverſiae, quum non una eſſet Arcadum opinio, placuit creari Triumviros, qui rem totam inſpicientes, ad coetum ſubinde referrent. Triumviri fuere *Opicus Erimanteus*, hoc eſt, Gravina, *Cortilius Alphejus*, & *Martilius Dianidius*. Tandem in frequentiſſimo Arcadum concilio IV. Non. Jul. CIϽIϽCCXI. Gravina ab univerſo coetu rogatus ſententiam, conſultuſque ea ſuper re, reſpondit: *Non licere*. Enimvero id acerbum indignumque Arcadicis magiſtratibus viſum. Quare Gravinae ſententiam non ſecus ac maledictum, aut convicium aliquod, facta conſpiratione, rejecere.

re. Quorum auctoritas, quum magnam vulgi partem tranſverſam egiſſet, ſaeva peperit animorum diſſidia, defendentibus multis Gravinae ſententiam, pluribus etiam improbantibus. Peracto concilio, Arcades irarum pleni e comitio ſeſe proripiunt, alius adverſus alium convicia, & minas jactans. Ejus autem partis, qui *Non licere* ſententiae adhaerebant, confeſtim Gravinam frequentes adeunt, facinus indignum querentes. Jam non legum vim ſtare: quemque arbitratu ſuo eas interpretari. Nec jure, an injuria res peragatur, quidquam penſi habere. Quid igitur leges ſancire, quid illis ſeſe obligare, ſi ubi e re ſua erit, magiſtratibus impune eas violare liceat? Orant proinde Gravinam, ut ſententiam ſuam audacter ac fortiter tueatur: ſe, quemcunque caſum fors tulerit, ei non deeſſe, ſancte affirmant. Quorum numerum, & rationes quum non contemnendas eſſe exiſtimaret Gravina; quumque plurimi inter illos eſſent praeſtantes viri; eos benigne alloquitur, ſuumque officium ab ſe deſiderari non paſsurum pollicetur: nec quidquam tamen agi, niſi communi conſilio poſse admonet. Diem propterea edicunt, quo die univerſos adeſse in Gravinae domo ad concilium habendum, deque rationibus ſuis conſultandum conſtituunt: quique non intererit, ei fraudi fore. Ubi conſtituta dies advenit, longe plures, quam rebantur, convenere. Multa ibi in concilio variis jactata ſermonibus fuere: poſtremo quum de eli-

Digitized by Google

eligendo Cuſtode univerſi conſenſiſſent, initis ſuffragiis de omnium voluntate Cuſtodem creant Braccianenſium Ducem Livium Odeſcalchium virum praeſtantiſſimum, qui ſumma humanitate ſuam operam, ſtudium, opeſque pollicitus eſt: eaque illa beneficentia, qua quondam Arcadiam ipſam proſecutus eſt, Novorum Arcadum ſtudia, & conatus adjuvit. Poſt haec, edito decreto, *Arcadiae novae* nomen aſſumunt: & quoniam apud ſe integrum legis ſenſum ſtare contendebant, univerſam Arcadici coetus poteſtatem penes ſe aſſerere conſtituunt. Interim adverſae factionis Arcades nihilo ſegnius cauſam ſuam defendere inſtiterunt: quin etiam vi earumdem legum, illos veluti *Exarcades* rejiciebant. Ita contrariis ſtudiis, mutuiſque contentionibus per aliquod tempus, tamquam pro aris & focis concertarunt. Dicerem ſane amplam praebuiſſe mortalibus ridendi materiam, niſi his concertationibus viros doctos, & ſapientes, atque dignitate praeſtantes implicitos viderem. Ceſſere tandem Novi Arcades. Nam quum Dux Bracciani vita exceſſiſſet, praevalido illi deſtituti fuere praeſidio. Itaque plerique ampliſſimi viri, idoneam occaſionem rati, de concordia, deque componendis rebus, ſi forte res ad otium deduci poſſet, agere coeperunt. Irrito certe conatu: quippe nulla ratione adduci potuerunt, ut in veterem Arcadiam illi redirent: potiuſque conſilio, & hortatu Laurentii Cardinalis Corſinii, qui

qui deinde anno cIↃIↃccxxx. ad ſummum Pontificatum evectus Clemens XII. eſt appellatus, quique in ea diſſenſione fuerat ſemper pacis auctor, pridie Non. Jan. cIↃIↃccxiv. jus, & appellationem Arcadicam deponentes, novam *Quirinorum* Academiam inſtituerunt: cujus leges ſatis venuſte more ſuo deſcripſit Gravina. Quae Academia beneficentia & liberalitate Corſiniorum ſingulis annis ad haec tempora habetur in amoenis Hortis, qui ejuſdem Corſiniae Familiae magnificentiſſimis aedibus adjacent: ad quam ingens Cardinalium, aliorumque praeſtantium virorum numerus ſolet confluere. Tale initium, atque exitum habuiſſe ſeceſſionem illam Arcadum, ſcriptis tradidit Marius Creſcimbenius, qui erat veteris Arcadiae Cuſtos, & ductor. Hujus tamen amicitiam Gravina nunquam abjecit: cum eo enim, propter hominis candidos mores, familiariter conjuncteque ad poſtremum vitae ſpiritum vixit. Alteram Gravina ipſe ad Emmanuelem Martinum ſcribens ejus ſeceſſionis cauſam affert; ſectatores nempe ſuos vulgaris eruditionis, puerilisque poeſeos faſtidio, nihilque inibi rectis ſtudiis atque optimis artibus eſſe loci cernentes, Arcadiam deſeruiſſe. Nam hi fere omnes erant diſcipuli Gravinae, a quo in cultioribus diſciplinis, atque in optimo genere poeſeos eruditi erant: eoque praeceptore doctrinae tam ſelectae copiam ſibi comparaverant, tantumque roboris, imo & acerbitatis habebant, ut ad-

adverſarios omnes, & Arcadiam ipſam, in parentem ſuum recalcitrantem, obtriverint, omnique litterario honore ſpoliaverint. Poſteaquam vero diem obivit ſupremum Gravina, ab univerſo Arcadum Collegio, vetere illo reſciſſo decreto, quo eum ex Arcadum albo expunxerant, novoque edito VII. id. Maj. CIↃIↃCCXVIII. in Arcadum numerum reſtitutus eſt: & quem vivum contempſere, mortuum veluti coetus ſui ornamentum adoptarunt.

XXXIV. Italicae eloquentiae, ut hanc quoque attingamus, non multum ſtuduit Gravina: quin etiam ajebat, ſe non ſecus ac loquebatur, ſcribere ſolitum fuiſſe. Attamen in ſuis vernaculis ſcriptis apparet, cum ornate & commode, tum pure incorrupteque dixiſſe: atque utrumque ſcopulum declinaſſe mihi videtur, ut fucatum orationis ornamentum, atque importunum illud verba remotiſſima a communi hominum uſu aucupandi ſtudium una vitaret; & non indecorum dictionis genus ſimul retineret. Italico itaque ſermone, praeter illam dictionem *Dell'antiche favole*, de qua ſuperius egimus, anno poſtmodum CIↃIↃCCVIII. librum duorum voluminum ſcripſit, quem *Della ragion Poetica* appellavit, inſcripſitque lectiſſimae nobiliſſimaeque feminae, Colbertinae Principi Carpineae; quam meritis laudibus ob eximiam eruditionem extollit. Et eo libro ſatis magnam gloriam tulit: nec defuere doctiſſimi viri, qui nullam adhuc aetatem in eo

eruditionis genere quidquam tuliſse praeſtantius, nihil exquiſitius, teſtati ingenue ſunt, tum ob ſummam ſcientiam apte appoſiteque ferendi judicium de unoquoque ſive Graeco, ſive Latino, ſive vernaculo Poeta; tum ob lectam minimeque vulgarem eruditionem. Tametſi plerique nonnihil in eo libro ineſſe obſcuritatis ajunt. idque non obſcure innuit ipſemet Gravina, qui ad Scipionem Maffejum ſcribens, ea in tractatione nimium ſe verbis peperciſſe ait, minuſque conſuluiſse imbecillioribus; proptereaque, ut eorum commodo & utilitati proſpiceret, idem argumentum peculiari Dialogo vernacule fuſius, & majore exemplorum copia pertractandum ſuſcepiſſe: quod num ſubinde praeſtiterit, incompertum nobis eſt. Neque vero in tradendis tantum vernaculae poeſis praeceptis excelluit; verum & in carminibus fundendis haud ſane laude caruit. Nam quum ab adoleſcentia meliorum Italicorum poetarum ſcripta ſaepe volutaſſet, nonnulla deinde pro re nata ſcriptitavit poematia, quae Dantis & Petrarchae genium, non minus quam ſententiarum vim ex intima philoſophia repetitam, praeſeferunt: quorum exemplum nobis exhibet vir doctiſſimus Joh: Antonius Sergius in ſua opuſculorum ineditorum Jani Gravinae collectione.

XXXV. Non mediocri animi acerbitate in theatrorum noſtratium peſtes invehebatur Gravina; quorum in agendis fabulis importunam animorum mollitiem, atque impudicitiae monſtra vehementer ſto-

ſtomachabatur. Qui morbus noſtris hiſce temporibus uſque eo pervaſit hominum mentes, ut jam, poſthabito pudoris diſcrimine, ſordeant illae fabulae, ubi nihil inerit petulantiae; abundeque excitantur plauſus, ubi impudentia omnia tenet. Ut huic quoque malo pro temporum conditione idoneum proponeret remedium, quamquam eo potiſſimum tempore maximis & aliorum ſtudiorum, & Juris docendi occupationibus diſtineretur; quinque ſumpſit ſibi componendas Tragoedias, quas brevi admodum trium menſium intervallo abſolvit; moxque per lectiſſimos adoleſcentes, quos in bonis artibus excolendos ſuſcepiſſe ſupra demonſtravimus, in ſuis aedibus agi curavit. Finem autem ejuſmodi poematum allegoricorum in eo collocabat Gravina, ut per vivos ſub mortuorum perſona in ſcenam prodeuntes, & agentes res praeſentes ſub veteribus latitantes, mores aetatis ſuae carperentur. *Quo ſine ſapore, atque humanae vitae documento*, (ita ſcribit in Epiſtola ad Martinum) *quorſum poeſeos artis, alioqui laborioſiſſimae, ſtudium?* In illis Tragoediis ſequutus eſt Gravina medium quid Sophoclis inter, & Euripidis ſcribendi rationem: nam & ab illa Sophoclis orationis brevitate paululum receſſit, Euripidiſque copiam nonnihil contraxit: utrumque certe prae oculis videtur habuiſſe, ut in illos, dum ſcriberet, tota mente & cogitatione intueretur. Nec quidquam ſe ſive Latine, ſive vernacule unquam ſcripſiſſe affirmabat, quod il-

illarum Tragoediarum dignitati eſſet par. Fuere tamen nonnulli, qui Tragoedias haſce minus probarunt, albiſque dentibus deriſerunt, ea ducti ratione, quod illa dictionis metrique forma hujuſce noſtrae aetatis genio minime accommodata videatur. Scilicet qui haec ajunt (pace eorum dicam) hi erunt fere, qui ad earum examen nullam aliam praeter Lopenſem ſcholam, & Calderonicam, aut inde ſcatentem Cornelianam Gallorum, conſulere noverint; neque ullum adhuc germanae poeſeos ſenſum perceperint. Contra vero qui Graecarum litterarum expers non eſt, Atticaque venuſtate aliqua capitur, porro non ſine ingenti jucunditate eas verſabit, ultroque fatebitur Graecorum genium illis Tragoediis revocaſſe Gravinam. Contendebat enim, nec immerito, ſolos Graecos in Tragica poeſi ceteris omnibus antecellere; atque idcirco eos pro magiſtris & ducibus eligendos. Nam quem unum habemus inter Latinos Senecam, ſua tamen declamatoria arte, vix dignum, qui legatur, duxit. Quam ſententiam luculenter aſſeruit, ſimul & ſuorum temporum furorem vehementer caſtigavit, & rationibus atque exemplis veterum profligavit, vernaculo edito Tractatu, cui nomen *Della Tragedia*; quem Sabaudiae Principi Eugenio dicatum voluit.

XXXVI. Deceſſerat Scaleae ad iv. Non. Maj. cIↃIↃccxiv. Gregorius Caloprefius, vir qui cum amoeniorum literarum ſtudio ſanctiorem quoque phi-

philoſophiam conſociaverat ; tum probitatem, humanitatem, morumque integritatem ita ſancte percoluit, ut non tam hominis litteratiſſimi, quam optimi ac juſtiſſimi conſtantem poſt ſe opinionem reliquerit. Ceterum moriens heredem ſcripſerat Vincentium Gravinam, amitinum ſuum, quem unice a puero dilexit, quique ex tot Gravinae praeſtantiſſimis editis libris ſatis gloriae ac decoris acceperat, ut neutiquam ſuam operam perdidiſſe videretur, qui prima doctrinarum ſemina peramanter illi tradiderat. Eo accepto nuncio graviter perturbatus Gravina confeſtim in Bruttios conceſſit, juſta perſoluturus homini neceſſario, ac de ſe optime merito; quem non modo praeceptorem ſuum, ſed beneficentia pluſquam parentem, praeterea Italorum philoſophorum aetate ſua maximum nuncupabat. Quo praeſertim tempore, quum affecta admodum eſſet valetudine, & viſcerum doloribus vehementer conflictaretur, ab amicis & medicis admonitus eſt, ut ex malis, quod poſſet, ſolatium arripiens, ea occaſione patriae aëris beneficio uteretur. Quum igitur veniſſet in patriam ſuam Rogianum, moxque Conſenſiam perrexiſſet, ejus regionis omnes, qui aliquid de ingeniis poterant judicare, colloquio eum atque obſequio dignum exiſtimarunt; eumdemque veluti ſingulare Bruttiae gentis decus & ornamentum merito omnes ſuſcepere. Totum id tempus, quo in Bruttiis commoratus eſt, fere adhibuit in cohortandis

dis adoleſcentibus ad ſtudia litterarum, quibus rectam methodum & rationem patefaciebat: quum plurimum ad rectam doctrinarum intelligentiam referre exiſtimaret, maturrime idoneam ſtudiorum viam ingredi: ad cujus rei famam frequens juvenum turba, mota ſedibus ſuis, ex univerſa illa regione Conſenſiam, aut etiam Rogianum confluxiſſe dicitur. Antequam vero e Bruttiis ſolveret, aliquam ejus regionis partem luſtrandi ſtudio incenſus eſt; quae, ut pereleganter ab eodem Gravina dictum accepimus, (a) vetuſtis illis temporibus doctrina & omnium artium inventione, atque elegantia praecellebat; quaeque tota quum Graecis coloniis, moribus, & peregrinationibus celebraretur, Magna Graecia dicta eſt. Namque Pythagoras quum divinae ibi locaſſet, atque humanae fundamenta ſapientiae, exornaſſetque univerſos illos populos, & privatim & publice, praeſtantiſſimis inſtitutis & artibus, mirum quot celebratiſſimi viri, tamquam ex aliqua doctrinarum officina prodierunt. Quin etiam Pythagorae doctrina, quum longe lateque flueret, permanaviſſe Ciceroni (b) viſa eſt in Romanam civitatem; *Quis eſt enim* (ait) *qui putet, quum floreret in Italia Graecia potentiſſimis & maximis urbibus, ea quae Magna dicta eſt, in hiſque primum ipſius Pythagorae, deinde poſtea Pythagoreorum tantum nomen eſſet; noſtrorum hominum ad eorum doctiſſimas vo-*

(a) *Grav. Orat. de Juriſprud.*

(b) *Tuſc. Quaeſt. lib. IV.*

voces aures clauſas fuiſſe? Quin etiam arbitror propter Pythagoreorum admirationem Numam quoque Regem Pythagoreum a poſteribus exiſtimatum. Nam quum Pythagorae diſciplinam & inſtituta cognoſcerent, Regiſque ejus aequitatem & ſapientiam a majoribus ſuis accepiſſent, aetates autem & tempora ignorarent propter vetuſtatem; eum, qui ſapientia excelleret, Pythagorae auditorem fuiſſe crediderunt. Tanta vero ſcholae illius apud exteros erat auctoritas ac celebritas, ut Graeci ipſi, ipſeque Plato, ut ait S. Hieronymus (a), in Magnam Graeciam veniens Pythagoreorum diſciplinae daret operam, *ut qui Athenis magiſter erat, & potens, cujuſque doctrina Academiae gymnaſia perſonabant, fieret peregrinus atque diſcipulus.* Quod etiam a Cicerone traditum eſt in 1. Tuſcul. quaeſt. Inde praeter tot praeſtantiſſimos philoſophos, egregios etiam illos legumlatores, Charondam ſcilicet Thurinorum, Zeleucum Locrenſium, Andromadum Rheginorum, Tarentinorum Architam, Parmenidem, & Zenonem Eleatum, alioſque profluxiſſe, e veterum monumentis accepimus; quorum inſtituta in Romanorum legum corpus XII. Tabularum inde commigrarunt. Etenim Romanos Legatos non ſolum Athenienſium, & Lacedaemoniorum, ſed & Magnae Graeciae urbium leges deſcripſiſſe, tradit Servius in Virgilium. Quarum rerum recordatione homo Romani juris & an-

(a) *Epiſt. ad Paulin.*

antiquitatis perſtudioſus, quum Crotonem veniſſet, ubi Pythagoras vitam ediderat, Pythagoreorumque ſcholae, ſedis, & domicilii loca, rudera, antiquitateſque perveſtigaret Gravina, maxima afficiebatur voluptate. Uſu enim hoc venit, ut, quum ea loca videamus, in quibus memoria dignos viros accepimus multum eſſe verſatos, attentius de iis locorum admonitu cogitemus, magiſque moveamur, quam ſi quando eorum ipſorum aut facta audiamus, aut ſcriptum aliquid legamus.

XXXVII. Non ante annum cIↄIↄccxvi. Romam remigraſſe Gravinam, ex ejus ſcriptis epiſtolis conjecturam facio: quo tempore ad obitum uſque quas res, praeter perpetuam ſcribendi conſuetudinem, geſſerit, incompertum nobis eſt. Illud certe omnium ſermone celebratur, poſtremis illis temporibus a celeberrimis Germaniae Academiis ad Jus civile docendum luculentis conditionibus ultro fuiſſe vocatum: praeſertim vero a Victorio Amadeo Sabaudiae Duce in ſuae Univerſitatis Auguſtae Taurinorum inſtauratione ampliſſimis propoſitis praemiis cum anteceſſoris honore, & nomine, re autem omnium ſtudiorum moderatoris, invitatum fuiſſe. Quod munus ſponte delatum libenti animo accepit: nam in eo Lyceo erigendo ſuam operam praeſtiterat Gravina; & ſecundum ſuas, quas non ita pridem dederat praeceptiones, ratio & ordo ſtudiorum inſtitutus fuerat. Sed dum iter moliretur, ecce ſub

exitum anni XVII. hujus ſaeculi conſuetis ſtomachi doloribus corripitur, quos jam inde ab adoleſcentia, propter immodicam librorum lectionem contraxiſſe, ſupra memoravimus. Interim vero dum in dies morbum augeri ſentiret, Andream Piovanum Vallicellanae Congregationis Oratorii Presbyterum, quem conſcientiae ſuae judicem, ac vitae moderatorem jam pridem elegerat, vocari juſſit, apud quem religioſe ac pie ſua peccata, ad expiationem per poenitentiae Sacramentum impetrandam, expoſuit. Ab iis tamen doloribus, quemadmodum alias, ſe citius expedire rebatur. Nam quum ſaepius, ut dictum eſt, eo morbo vehementer laboraviſſet, idoneam nactus erat medicinam, nempe inediam ſive dietam, qua dolorum vim abigere conſueverat. Neque fruſtra tum eam curationis rationem adhibuiſſe viſus eſt. Nam quum per aliquot dies aut prorſus cibo ſe abſtinuiſſet, aut modico admodum uſus eſſet, non parum doloribus levatus eſt, leviorque morbus eſſe coepit: adeout VI. Kal. Jan. hoc eſt feſto die tertio poſt Natalem Chriſti, una cum Joanne Salvio viro humaniſſimo, & poetica facultate ornato, ipſique Gravinae cum primis caro, quique ſub eodem tecto habitabat, poſteaquam Indicam potionem ambo abſorbuiſſent, audiendi Sacrum cauſa, ad proximam Eccleſiam *Del Suffragio*, ut vocant, quae ejus domui finitima erat, perrexerit.

XXXIX. Tali modo ſubſtentavit ſe nonnullis

diebus, nullum interea metuens vitae diſcrimen. Ceterum, quum per eos dies inviſendi gratia domum illius adiiſſet Benedictinae familiae Monachus quidam, remotis arbitris, iterum coram eo peccatorum ſuorum rite ſeipſum per ſacram Confeſſionem accuſavit Gravina. Atque hoc non auditum, ſed cognitum praedicare ſolet Leopoldus Metaſtaſius: is enim propter neceſſitudinem omnibus domeſticis rebus interfuit. Nonis autem Januarii poſt veſperum, maximis exaeſtuans internis caloribus, efflagitavit frigidae poculum, quod domeſtici pridem ſub dio poſuerant: qua avide epota, animo relaxari ac relevari aliquantulum viſus eſt: ita ut vario ſermone ad multam noctem cum familiaribus vigilaverit. Diſceſſerant denique omnes cubitum, atque arctiori ſomno tenebantur, quum Gravina poſtridie hora fere undecima, ſubito maxima vi morbi erumpente, lecto jacens atram bilem evomuit. Senſit Petrus Metaſtaſius ſonitum, qui in proximo cubili cubabat; confeſtimque de lecto proſiliens accerſivit Johannem Salvium, qui accurrentes eum voce ac ſpiritu abreptum, ac viribus deſtitutum jacentem invenerunt: neque ullum verbum ab eo, mentis jam ac ſenſuum experte, elicere potuerunt. Pauloque ante lucem ejus diei VIII. Id. Jan. anno CIↃIↃCCXVIII. animam efflavit, quum annos haberet IV. & L. ut ſi vis morbi abſuiſſet, immatura quidem mors videri poſſit. Statura fuiſſe traditur procera, corpore gracili, ore ma-

macilento ac pallido, lata fronte; oculos habuit caeſios, ac diſtortos, tempora concava, naſum eminentiorem. Ejus effigiem ab archetypo quodam delineato ex σκελετῷ, qui ſtatim poſt ſpiritus exhalationem ex Gravinae facie deſumptus eſt, in aes incidi a minime vulgari κοπτοχάλκῳ curavimus. Fratrem habuit Franciſcum Antonium, hominem doctum, & poeticae facultatis non expertem, qui in Neapolitano foro cauſarum patronum primum egit, poſtea foro vale dicto, rebus ſacris quum ſeſe penitus tradidiſſet, presbyter ſupremum diem obierat anno CIƆIƆCCXI. Heredem Gravina in bonis quae habebat in Conſentina provincia, teſtamento reliquit matrem ſuam; in reliquis vero bonis omnibus, una cum bibliotheca, quam omnium doctrinarum ſelectorum librorum refertam domi habebat, heredem inſtituit Petrum Metaſtaſium, quae hereditas fuit ſatis luculenta. Suum teſtamentum ſua manu ſubſcripſit Gravina; quod ex ipſo αὐτογράφῳ exemplari exſcripſimus; quodque tantopere vetuſtatis amatores celebrarunt, hic ſubjiciemus.

Quod Deus bene vertat.

J. Vincentius Gravina ita teſtor. Annam Lombardam matrem meam heredem inſtituo in bonis quae habeo in Conſentina Provincia Brutiorum, quos Calabros vocant: in bonis vero meis aliis omnibus heredem inſtituo Petrum Trapaſſum, alias Metaſtaſium, Romanum, adoleſcentem egregium, alumnum meum:

 cui,

cui, ſive ante, ſive poſt aditam hereditatem meam quandocunque decedenti, ſubſtituo Julianum Pierſanctem, Laurentium Gorum, Horatium Blancum, vernacule Bianchi, diſcipulos meos cariſſimos.

Corpus meum antequam terrae reddatur cultro diſſectum, balſamoque de more perunctum volo.

Dominicanae familiae Patribus pro celebratione miſſarum ad peccatorum meorum expiationem dator ſemel, h. e. una ſolummodo vice, argentea ſcuta Romana triginta, decem juliorum in ſingula ſcuta: quae ſimul cum ſumtibus funeris, parce quidem ac moderate, a Petro Metaſtaſio, ſive Trapaſſo perſolvuntor. Nonis Aprilis ann. MDCCXV.

Ego idem J. Vincentius Gravina.

Elatus eſt in aedicula S. Blaſii *Della Pagnotta*, uti vulgo ajunt, parco admodum ſumptu. Nullum ibi ſepulcrale epitaphium, nullum monumentum poſitum Viro adeo de litteris optime merito: ob cujus ſcripta Italiae fama illuſtrior ad longinquas Europae oras, ubicunque Latinae litterae ſuum obtinent pretium, pervaſit; & de cujus nominis celebritate nulla unquam aetas, donec Romanae loquentur leges, reticebit.

XL. Vir fuit Gravina multarum optimarumque artium diſciplina perpolitus; & non modo in excogitando, ſed in exponendo exornandoque felix. Qui quamvis ingenio plurimum poſſet (fuiſſe enim & acre, & ferax accepimus) addidit etiam in-

induſtriam ac diligentiam prope ſingularem. Namque ſingulis diebus minimum denis duodeniſve horis affirmant ſtudiis litterarum, magna cum animi intentione, vacare conſueviſſe. Et ad eloquentiam quod attinet, vererer ſane ne quis meam ſententiam, qualiſcumque erit, prodendo, nimium mihi erga Gravinam ſtudium objiceret; ni ante me par judicium a doctiſſimis hominibus fuiſſet prolatum. Ineſt enim praeter ceteros in illius ſcriptis orationis quaedam ſuavitas, incorruptaque Latini ſermonis integritas, & proprietas vocabulorum: quam ex diutina perennique optimorum auctorum, Ciceronis praeſertim, Terentii, Plauti lectione & uſu hauſerat; quorum dicendi vim & rationem quum in ſuum ſanguinem vertiſſet, apparet in eo nativum quemdam Latinae elocutionis candorem eſſe, non adſcitum. Atque illi quidem, qui poſt renatas litteras, cultum Latinae linguae genuinum ac ſolidum inſtaurarunt, magnam certe Romani ſermonis laudem atque exiſtimationem ſibi compararunt; cujuſmodi fuere Paulus Manutius, Petrus Bembus, Chriſtophorus Longolius, Jacobus Sadoletus, & alii. Hi tamen eruditorum judicio, parum commoda ratione uſi ſunt; quod verba Ciceroniana mira religionis & ſuperſtitionis obſervatione conſectari, ac totum Ciceronem exprimere adnitentes, flagitium putarunt ab eo vel tranſverſum unguem diſcedere. Quemadmodum enim ſua cuique ſit facies, & corporis forma; ita & ingenii vis,

co-

cogitandique ratio propria ineſt omnibus. Quare, quum ita dicere conſueſſent, ut tota mente unum Ciceronem atque omni animo intuerentur; intereaque ipſorum repugnante natura ad id dicendi genus minus eſſent accommodati, facta eſt illorum oratio ſervilis, hjulca, ac tumultaria. Gravina non ſolum e Cicerone, ſed e ſingulis melioribus auctoribus ſuccum quodammodo exprimens, inque ſuum ingenium mentemque confundens, orationem ſibi effinxit naturalem, ac proprium dicendi genus; accuratam nimirum Latine loquendi, & ſine moleſtia ac fuco diligentem elegantiam. Quam praeſtantiorem ſane reddidit cognitione & conſuetudine Graecarum litterarnm: ex quibus duabus linguis efflorefcens & redundans oratio, quantum prae ſe ferat dignitatis & venuſtatis, probe norunt, qui hujuſmodi ſtudiorum ſuavitatis expertes non ſunt. Illud praeterea ſuo quodammodo jure ſibi vindicat Gravina, quod cum politae cultaeque orationis majeſtate copulavit doctrinarum, & pulcherrimarum rerum ſcientiam. In quo ſane a pluribus vehementer erratum comperimus. Nam qui ita concinnitatem verborum, orationiſque floſculos conſectantur, ut aliarum diſciplinarum ſtudium aut negligant, aut contemptui habeant, falſo omnes horas in Ciceronis lectione & imitatione collocare ſe praedicant. A nemine quippe melius, quam ab ipſo Cicerone refellitur ipſorum conſilium, qui nihil eſſe tam abſurdum ac furioſum affirmat, quam ver-

verborum vel optimorum atque ornatiſſimorum ſonitum inanem, nulla ſubjecta ſententia nec ſcientia. Non enim ex verbis tantum oratio debet conſtare, ſed ex rebus, quae non niſi a ſublimiorum doctrinarum ſtudio peti poſſunt. Contra vero longe plures eſſe videmus, qui quum ſeſe penitus rerum indagationi, atque cognitioni diſciplinarum tradidiſsent; adeo nihil quidquam de orationis cultu laborant; ut indecorum potius eſse affirment, rerum gravitatem a verborum delectu petere adjumenta: ac tum ſe perſpicue & accommodate dicere putant, ſi inquinata & barbara dictione utantur. Quorum opinionem atque inſtitutum, ut nihil aliud commemorem, ſatis appoſite refellunt tot praeſtantiſſimorum Scriptorum vel ſacrorum exempla, qui rebus bonis & ſublimioribus laudi ſibi duxerunt addere verborum ſermoniſque majeſtatem. Verum ut inde, unde diſceſseram, revertar, Gravina negat pernegatque ea ſtudia eſſe diſtrahenda, ſed eloquentiae ſtudium non modo ad doctrinarum omnium ſcientiam, ſed ad humanam quoque rationem, ut munus ſuum recte tueatur, neceſsariam plane ducit: ſuiſque in ſcriptis ita utriuſque gloria excelluit, ut, utra potius praeſtiterit, dubium ſane reliquerit.

XLI. Philoſophiam Gravina ſingulari propemodum ſtudio amplexus eſt ab adoleſcentia, atque in omni ſubinde aetate tamquam totius humanae ſapientiae parentem eam excoluit. In qua facultate

Digitized by Google

tate exemplo veterum ss. Patrum, inſtar omnium ſequutus eſt Platonem, eumque veluti quoddam doctrinarum omnium latifundium merito habuit. In cujus philoſophi lectione ſuadenda, non dici poteſt quantum operae & laboris exhauſerit. Illum non modo in omnibus diſciplinis praeſtantioribus optimum ducem & magiſtrum ubique praedicat; verum etiam ejus placita & ſententias cum Chriſtiana Religione, prae ceteris omnibus philoſophis, mire appoſiteque conſentire contendit. Quocirca ſolidis & ineluctabilibus argumentis & Deorum multitudinem illum ſuſtuliſſe narrat, & unum Deum ſtatuiſſe, qui cura providentiaque ſua ſumma ſimul & infima, maxima pariter & minima complectatur; quique non donis & muneribus ex vitiorum proventu proficiſcentibus, neque ſcelerum fructibus; verum cultu virtutis, & innocentia teneatur, ac ſola morum emendatione placetur. Praeterea adeo feliciter ad perfectam veramque juſtitiam eum collineaſſe; ut perfectiſſima illa ſummae juſtitiae forma, poſt homines natos, non niſi in ſola Jeſu Chriſti perſona videatur inſculpta: quare non prorſus eos erraſſe credidit Gravina, qui Platonem admirabilem illam ſapientiae vim, notitiamque rerum divinarum ab Hebraeis accepiſſe ferunt. *Verum* (inquit in Orat. pro Inſt. Stud.) *Platonis cum Religione noſtra conſenſum non eſt noſtrum explicare; cum id abunde, ac longe dignius praeſtetur a veteribus Patribus, ab illius doctrina venientibus: quam*

quam doctrinae Chriſtianae prae ceteris interſeruit Auguſtinus, adeo ut Platonem non tantum pro magiſtro philoſophorum, ſed etiam pro diſcipulo videatur habuiſſe prophetarum. Proinde in omnibus Gravinae ſcriptis ejus philoſophi diſſeminatas doctrinas ubique conſpicere eſt, illiuſque praeceptis, contra quam vulgus noſtrorum philoſophorum facere ſolet, non ad oſtentationem, vanaſque & futiles exercendas controverſias, ſed ad beate vivendum, atque ad alias res utiles retulit, ut Platonis diſcipulum poſſis agnoſcere. E novis recentioribuſque Philoſophis delectatus maxime eſt Bernardino Teleſio, Renato Carteſio, & Petro Gaſſendo. Hos enim exemplo veterum celebriorum philoſophorum, Naturae, rerumque ſolidis principiis inhaerentes, humanam ſapientiam in lucem protuliſſe arbitratus eſt. Scholaſticam autem vulgarem philoſophiam, Arabumque, & barbarorum ſapientiam, veluti diis illam iratis natam, averſatus eſt.

XLII. In Juriſprudentia, praeter antiquos juriſconſultos, quos maximi ſemper fecit, nimium quantum Jacobo Cujacio tribuit. Se alibi vix Cujacio praeceptore dignum reputat: alibi illum, quamvis Alciatus ad ortum eamdem revocaverit, redivivae Jurisprudentiae patrem appellat: docere unum omnia, & ſemper ſua: nihil ignorare per illum, neque ſine illo diſcere quidquam licere: ſique antea natus eſset, omnium interpretum vice futurum fuiſse. Quibus ſane nominibus haud ſcio, an glorio-

ſius quidquam, aut elatius addi poſset. Quo effuſior Gravina fuit in laudibus extollendo Cujacio, Cujacianiſque omnibus, eo iracundius ferebatur in ſemidoctos & barbaros juriſconſultos, praeſertim in ſui temporis forenſes imperitos, & rabulas; quos veluti meros fori operarios ſaepe exagitavit. In ſacris vero, & theologicis diſciplinis admirator fuit S. Auguſtini, quem merito vocat *univerſae ſapientiae promtuarium*, *cujus mens ipſa D. Pauli ſpirat in ſcriptis* (a): Quae ſane vox quemadmodum veriſſima, non ita tamen ab omnibus aeque pari animi affectione recepta eſt, illis praeſertim temporibus, quibus nonnulli in oppugnanda Auguſtini doctrina aliquid ſperarunt habere populare.

XLIII. Moralem doctrinam, & pietatem coluit, vindicavitque ſanam illam, germanam, ſolidioremque, ab ipſo ſcilicet Evangelio, antiquis Patribus, veteribus Canonibus, Decretiſque Pontificum manantem; cujus imitatores, ac defenſores ſolent imperiti homines appellare *Rigoriſtas*, &, ſi Deo placet, interdum etiam gravioribus notis perſtringere. Suae pietatis quidem Gravina luculentum nobis reliquit teſtimonium in ſingulis ſuis voluminibus, ac praeſertim Orationibus, in quibus, ut ſaepe ſuis locis adnotavimus, nihil niſi ſanctum, religioſum, & ſanam doctrinam olens inſpicere eſt. Et in omnis vitae ratione eſse, quam vi-

(a) *Grav. Orat. De ſapient. univ.*

videri pius probuſque; neque inanem oſtentationem pietatis, ſed mentem Deo puram, caſtam, piam praebere maluit. Quoſcunque vero homines pietatis, ſimulatores, livoremque ſuum religione praetexentes, quos nunquam defuturos praedixit Apoſtolus Paulus, graviſſimo odio & ſcriptis, & quotidianis ſermonibus inſectatus eſt. Audax certe negotium, & periculoſae plenum opus alae. Eos enim, qui ea tempeſtate vel parum irritare tentaſset, paratum porro eſse oportebat ad famae, nominis, vitaeque ipſius grave diſcrimen ſubeundum. Quo magis illius conſtantiam admirati praeſtantes viri ſunt; quippe qui, etſi tot tantaque pericula ſibi proponerentur, nunquam tamen adduci potuit, ut quidquam de amore ac ſtudio veritatis remitteret. Et quoniam ex ejus ſcriptis male feriati homines nihil unquam eruere & expiſcari potuerunt, quo illi peſtem aliquam, aut invidiam conflarent; non deſtiterunt tamen certos homines ſubornatos in illius ſcholam ſubmittere, ut verbum aliquod ex ejus ore elicientes, hominem quovis pacto perderent. In quo etiam conſilio fruſtra ſemper operam locarunt. Ceterum Gravinae hujuſmodi homines grave faceſserunt negotium: ſuccubuiſsetque certe quivis alius tantae, tamquam diuturnae injuriarum procellae. Verum ille praeſenti animo excepit omnia adverſariorum tela; contempſitque eorum vanos conatus, utpote quem, uti ad ſuos auditores

Digitized by Google

de ſe ipſe dicere ſolebat, *ſuſurronum & ſemidoctorum agmina perpetuo plurium annorum latratu, non magis, quam Pigmaei Herculem commoverunt*. Sic enim vitam inſtituerat ſuam, ut non ex opinantium, aut obtrectantium ſermonibus & livore, ſed ex rectae mentis conſcientia unice pendere, obfirmato animo decreverit.

XLIV. Adoleſcens morum gravitatem mire ſervavit. Non ludere, non ulla juvenilia oblectamenta capere ſolitus fuit, non conviviis deditus: nullum utique ſtudioſo litterarum otium ad ludicras vanaſque res exercendas ſuppetere ratus. Adultior cum aequalibus & amicis aliquando, non quia ſuopte ingenio pronus, ſed ut illis morem gereret, animo nonnihil indulgere, ſaepiuſcule hilare & jucunde coenulas facere, cum iis praeſertim, quibuſcum conſtituendae Arcadum Academiae una auctor fuit. Aliquando fuit ſuſpicioſus; quippe ob levia, & minima interdum indicia adverſus familiares vanis ſuſpicionibus daret locum. Si vero quis acceſſiſſet monitor, cujus fidem ſemel cognitam habuerit, facile de illius ſententia omnes deponebat ſcrupulos. Primo obtutu atque acceſſu ſeverus, & quodammodo trux: ubi vero familiaritate & uſu cum eo verſatus fueris, nihil illo affabilius & commodius. Salibus, & dictorum aculeis, atque ironiis maxime delectatus eſt, adeout intemperans in eo nonnullis viſus ſit. Veritatem, non cum oſtentatione & jactantia, adeoque, ut mos ple-

pleriſque, minus vere, ſed ſimpliciter & ſancte uſque eo dilexit coluitque, ut palam affirmaret, ſe non modo munus qualecunque, ſed vitam ipſam deponere paratum eſſe, potius quam rectum animi ſenſum non ſincere ac fideliter proferret. Hinc ſaepe verſiculos illos in ore habere conſueviſſe narrant:

Di queſto ſol mi vanto, e ſia mio onore,
Di aver frequente ſu le labra il core.

Quare factum eſt, ut εὐθυῤῥημονέστερος haberetur, ac ſi immodica uſus eſſet loquendi libertate. Attamen non video, quamobrem Gravina maledicentiae nomine reprehendatur, is praeſertim, qui ſuis in ſcriptis & doctos homines, tametſi ab eorum ſententia diſsideret, nullo amarulento, aut inclementiori verbo notavit; & omnibus meritam laudem nunquam denegavit. At aliis contradicere, id quidem nec omnibus placet, nec ubique expedit. Credo: ſed videndum rectene, an ſecus contradixerit. Si male; proferant illius contumaciae & ſuperbiae exemplum aliquod: ſi recte; deſinant homini de litteris optime merito aliquid detractum cupere. Itaque Gravinae maxime putamus malo cauſam fuiſſe nimium animi candorem, & aperte atque ingenue, quae ſentiebat, profiteri; ut cum ſaepe alias, tum de ſe jure poterat illud Terentianum uſurpare: *Obſequium amicos, veritas odium parit.*

XLV. At Gravina ſi conviciatores, & obtrectatores laudis ſuae nonnullos habuit; longe tamen plu-

Digitized by Google

plures nactus eſt nominis ſui fautores eximios ; ſiquidem benevolentia & conſuetudine ultro devinctos habuit doctrina aeque, atque virtute, & probitate praeditos multos viros. Hi nimirum fuere in Germania Henricus Brenhman, Arnoldus Drakentorck, Joh: Georgius Graevius, Henricus Huyſſenius; in Gallia Jacobus Benignus Boſſuetus epiſcopus Meldenſis, ejuſque nepos Benignus item Boſſuetus poſtea epiſcopus Trecenſis, Joſephus Rignoldus, Gabriel Reginius; in Hiſpania Emmanuel Martinus, Emmanuel Mignana, I.Baſilius Caſtelvinius, Petrus Borullius, Saturninus Langladius, Philippus, & Caeſar Buliſonii fratres; in Italia Raphaël Fabrettus, Joh: Juſtus Ciampinus, Ioh: Baptiſta de Miro e Benedictina familia, Carolus Majella, Dominicus Auliſius, Scipio Maffejus, Apoſtolus Zeno, Bernardus Treviſanus epiſcopus Veronenſis, Alexander Guidus, Franciſcus Blanchinus, Laurentius Zaccagna, Philippus Bonarota, Joſeph Averanius, Antonius Magliabechius, Joh: Maria Lanciſius, Georgius Baglivius, Paulus Doria, aliique quamplurimi. Quibus accenſendus eſt Franciſcus Valeſius homo eximia pietate, optimiſque artibus ornatiſſimus; qui, quum in officina libraria Fauſti Amadei forte ſermo de Gravinae morte induceretur, audientibus pluribus ſpectatis viris, affirmare palam non dubitavit, ſi in aliud tempus Vincentii Gravinae ortus incidiſſet, non modo ſummis honoribus, & praemiis ille ornatus,

ſed

ſed dignus praeterea fuiſſet, cui ſtatua ob renovata ab eo Romae ſinceriora bonarum artium ſtudia, poneretur. Acceptiſſimus praeterea fuit Innocentio XII. & Clementi XI. Pontificibus Maximis: Cardinalibus item Gaſparo Carpineo, & Hieronymo Caſanatae. Franciſcus autem Cardinalis Pignatellus Archiepiſcopus Neapolitanus ſic Gravinam amavit, ut, quotieſcumque is Neapolim veniret, cum ſingularis benevolentiae ſignificatione ipſum menſa exciperet; & quum ille eſſet in Urbe, crebris litteris quid ageret, quid curae ſibi haberet, certior fieri volebat. Maximo etiam ſtudio diligebatur a Thoma Turnonio, poſtmodum Cardinalium Collegio adlecto, clariſſimo ſane, ac ſpectatiſſimo viro, inque reipublicae Chriſtianae graviſſimis maximiſque cauſis cognito, atque inprimis probato. Complures alios ex univerſa Europa principes viros ſupervacaneum eſt commemorare; qui Gravinae magnum ſemper honorem tribuerunt; ut ex talium virorum ſtudiis & favore ſatis uberem ipſe tuliſſe gloriam exiſtimandus ſit. *Eſt enim gloria* (inquit Tullius libr. III. Tuſc. quaeſt.) *ſolida quaedam res, & expreſſa, non adumbrata. Ea eſt conſentiens laus bonorum, incorrupta vox bene judicantium de excellente virtute.*

FINIS.

J. VIN-

J. VINCENTII GRAVINAE

Opera Latina edita.

DE Corrupta Morali doctrina Dialogus. Coloniae M.DC.XCI. in 4.

Opuſcula, quae ſunt, *Specimen Juris priſci = De lingua Latina Dialogus = De Converſione doctrinarum = De contemtu mortis = De luctu minuendo. Romae MDCXCVI. in* 12.

De ortu & progreſſu Juris civilis liber, qui eſt Originum primus. Neapoli MDCCI. in 8.

Acta Conſiſtorialia creationis S. R. E. Cardinalium anni 1706.

Originum Juris civilis libri tres. Lipſiae MDCCVIII. in 4.

De Romano Imperio liber ſingularis. Neapoli MDCCXIII. in 4.

Orationes novem. Neapoli MDCCXII. in 12.

Inſtitutiones Canonicae. Auguſtae Taurinorum MDCCXLII.

Inſtitutiones Juris civilis receptioris. Romae MDCCXLIV.

Has tum Civiles, tum Canonicas Inſtitutiones ſcripto auditoribus ſuis in Romano Archigymnaſio tradiderat Gravina; quae deinde ab aliis in vulgus editae ſunt. Verum non eae ſunt, quas Gravina typis imprimendas conſulto compoſuerat, quaſque heredibus Ms. reliquit.

De cenſura Romanorum.

Opera Vernacula edita.

DIſcorſo ſopra l'Endimione di Erillo Cleoneo P. A. Roma 1692. *in* 16.

Diſcorſo dell'antiche favole. Roma MDCXCVI. in 12. Hujus Tractatus habetur Gallica verſio an. MDCCVI.

Della ragion Poetica libri due. Roma MDCCVIII. in 8.

Hujus etiam habetur Gallica verſio, Pariſiis MDCCLIV. Tomi 2. in 12.

Tragedie cinque = il Palamede = l'Andromeda = l'Appio Claudio = il Papiniano = il Servio Tullio. Napoli MDCCXII. in 12.

Della Tragedia libro uno. Napoli M. DCC. XV. in 4.

Raccolta di Opuſcoli. Napoli CIↃIↃCCXLI. in 12. Hanc editionem curavit, illuſtravitque docta ſane Praefatione Joh.

An-

Digitized by Google

Antonius Sergius Juriſconſultus eruditiſſimus. Opuſcula ſunt = *Regolamento degli ſtudj di nobile e valoroſa donna* = *Della diviſion dell' Arcadia* = *De diſciplina poetarum* = *Eglogbe tre* = *Iambus ad Paulum Doriam* = *J. Vinc. Gravinae Bibliotbeca* = *Opuſculorum dedicatio* = *Orationum dedicatio* = *Receptioris Juris lib.* 1. = *Excyclica Epiſtola ad Populum Neapolitanum* = *Teſtamentum J. Vinc. Gravinae*.

Ecloga Latina, & *Iambus*. Extant inter Carmina Arcadum edita a V. Cl. Michaële Joſ. Moreo an. MDCCLVI.

Opera Latina inedita.

De Romano Imperio Germanorum.
De Imperio & Jurisdictione.
De origine & progreſſu Juris Pontificii.
Inſtitutiones Juris civilis.
Inſtitutiones Juris Pontificii:
Hi duo libri diverſi omnino ſunt ab illis Inſtitutionibus, quae typis excuſae vulgo circumferuntur.
Declamationes, ſeu Verrinae in Q. Sectanum.
Sermones, ſive Iambi in Q. Sectanum.
Praelectiones in Decretum Gratiani.
Notae marginales in Pandectas.
Orationes quamplurimae Latinae.
Tragoedia Latina Amulius.
Tragoediae duae a Vernaculo in Latinum ſermonem translatae, nempe = *Palamedes, atque* = *Andromeda*; *item* = *Appius Claudius, ſed nondum perfecta*.
Epiſtolarum Latinarum ingens numerus.

Opera Vernacula inedita.

Del governo civile di Roma da Romolo ſino ad Eugenio IV.
Regolamento di vita civile di nobil donna.
Pindaro tradotto in verſo volgare.
S. Atanaſio Tragedia.
Tragedia di Criſto.
Note marginali a Dante Alighieri.
Dialoghi Italiani ſu l'arte poetica.
Egloghe Italiane.

Digitized by Google

Doctorum Virorum de J. Vincentio Gravina Judicia, & Teſtimonia.

Raphaël Fabrettus in Inſcriptionum Explicatione &c. Cap. X. num. 452. pag. 732.

SI QVA TAMEN PIETAS GELIDOS MOVET *Anxia Manes* RVMPE MORAS *ſpes haec* SOLA MIHI GRATIA *vitae*.

LAcunas implevit Joannes Vincentius Gravina, Vir *adverſis ſuis clarus*, & immeritis probris prolixe, & ad annorum faſtidium impetitus; quae me quoque manere timeo, dum in ejus partes me tranſire, & amici forſan quamvis non adhuc cogniti poetae ingenioſos, ſed nigro nimis ſale reſperſos conatus improbare viderint.

Georgius Walchius in Hiſtoria critica Latinae linguae Cap. XII. §. IV.

JAnus Vincentius Gravina ſingulare Italorum decus, princeps ingeniorum, qnae in gente hac noſtro aevo doctrina, juriſprudentia, elegantiori Latini ſermonis ſuavitate floruerunt. Scripta ejus, & ubertate, copiaque rerum, & elegantia ſtili magnam prae ſe habent dignitatem. Edidit *Originis Juris civilis*, Opuſcula, quae cum Orationibus quibuſdam non ſolum ſtudio Joannis Baptiſtae Ancionii Amſtelodami MDCCXIII. prodierunt, verum etiam novae editioni Lipſienſi *Originum Juris civilis* addita fuerunt. Atque haec Opuſcula cum Orationibus praecipue cultoribus Latinae linguae ejuſque purioris commendamus. *Similia habet* Cap. II. §. II. & Cap. III. §. XIII.

Joan. Baptiſta Ancionius in Praefatione editionis Vltrajectinae Opuſculorum & Orationum Gravinae.

QUI (Gravina) in tot invidioſis argumentis ſenſus palam nuncupavit ſuos, oſtendit ſatis, quanti mortales honores, & vulgi ſuffragia aeſtimet prae amore veritatis, communique ſtudiorum utilitate, quo toto ſuorum ille curſu laborum

rum

Digitized by Google

rum intendit : uptote qui a diuturno cultu Romanae linguae mores contraxerit, mentemque Romanam, ſine quibus neque egerit fortiter, neque ſcripſerit egregie quiſquam. Nam quid eſt aliud eloquentia, niſi recte atque eleganter expreſſa ſapientia? Quid igitur ſtultius, quam expertem Romanae virtutis Romanam ſibi ſperare facundiam, tamquam latine quis unquam dixerit, qui non latine identidem cogitavit? Niſi latinam dictionem ducamus Nizolianas quorundam offas, phraſiumque manipulos, quibus alicubi quilibet in honorum petitione vel tecum feliciter certaverit, Marce Tulli. Quid mirum igitur, ſi noſter, qui latinis e ſtudiis latinos ſibi animos arripiendum cenſuit, calumniarum imbrem nullo ſcripto, ſed ſola integritate vitae, animique praeſentia in ipſos refudit auctores? Quibus diu ſuſtinendis virtus ejus ita percalluit, ut eo vehementius incumbat, ubi recta ratio potentioribus fraudibus occultatur. Qua conſtantia in errores vulgares vehementer perrupit, aſſuetus eo minus vereri hominum inſaniam, quo religioſius divinas colit humanaſque leges, quae ſemper, praeſertim ſub ſanctis aequiſque moderatoribus, vindices texere veritatis. Iſque ingenium ita obfirmavit ſuum, ut, cum placere maxime ſtudeat bonis, aliorum offenſionem nihili pendat, nec refugiat iis diſplicere, quibus ipſe gratuito, & immerito diſplicet &c.

Io: Burch. Menckenius De Charlataneria Eruditorum pag. 106.

NEque dubium ullum eſt, quin laeſae majeſtatis literariae reum te acturi continuo, & de lana caprina litem intentaturi ſint graviſſimam. *Itaque ars critica*, ut loquitur noſtri temporis Tullius (Gravina Orat. III. p. 147.) *quae diſcrimen erat veritatis, & temporum, atque falx errorum, nunc ſeditionum literarium fomes, ac turbo ingeniorum evaſit. Nimirum &c.*

Caeſar Portolanus Epiſtola ad Emmanuelem Martinum, quae legitur inter Epiſtolas ejuſdem Martini num. V. lib X. Tom. II.

CUm Joannes Baptiſta Petruvius, tribulis meus mihi in paucis chariſſimus, acceptiſſimuſque, Urbe relicta, ubi diu-

tius erat immoratus; ſe domum retuliſſet, mecum ſermonem inſtituit de Urbis ejuſdem ſtatu, & praeſertim de ſcientiarum cultu, deque literatorum numero, qui in praeſentia Romam incolunt, multum diſſeruit, ſed inter hujuſmodi ſermones ſuſpirans, & quaſi vulnere refricato dolens, heu, dixit, quantum jacturae Latina, quantum Graeca lingua in unius viri morte perpeſſa eſt! Janus Vincentius Gravina, quo familiariſſime utebare, quam diu te Roma detinuit, mi ſuaviſſime Caeſar, ambarum lumen clariſſimum, hoc labenti anno, maximo Italiae noſtrae detrimento, parcarum invidia nobis ereptus eſt. Hem! quid refers, dixi, dulciſſime Petruvi? quid nuncias? Muſarum ergo Arbiter, Parrhaſii nemoris vox unica, & lex, ſpes altera naſcentis Romae, Gravina noſter mortuus eſt? Occidit equidem, ille reſpondit, & una cum illo pariter utraque lingua occidiſſet, vel penitus ab urbe exulaſſet, niſi cura Deum, quae utique in Urbem illam maxima eſt, Emmanuelem Martinum, ſpem alteram Romae recentis, ab Hiſpaniis Romam revocaviſſet &c.

Emmanuel Martinus Epiſtola IV. ad Gregorium Majanſium lib. XII. tom. II.

QUod ut facilius aſſequare, confer te, per fortunas, ad Gravinae Origines. Nihil enim in lucem prodiit, neque doctius, neque nitidius. Veritati lito, non amicitiae. Etſi ea tam arcte conjuncti fuimus, eaque fidei mutuae conſtantia, ut vel extremum ille ſpiritum in amplexu noſtro efflaverit. In iis enim Juris civilis primordia & ſcaturigines detectae, abditiſſimi Romanarum antiquitatum explorati receſſus, latini ſermonis deſeratae divitiae; tanta verborum concinnitate, tam apto & congruenti ordine, tam naturali rerum cauſſarumque nexu; ut ſi cujus animum non ſtatim mira quadam voluptate pelliciant, nae ille plumbeus ſit, & ſtupidior lapide molari &c.

Gregorius Majantius Epiſtola V. ad Emmanuelem Martinum libro ſupra memorato.

GRavinae tui Origines legi, perlegi, concoxi, ac in ſuccum & ſanguinem pene converti. Manibus ejus bene precari cogor, qui mentem meam non modica luce illuſtravit. Illo

Digitized by Google

lo fere totius Romanorum Juris ſpecimine nihil vidi pulchrius. Singularum autem partium primordia & ſcaturigines adeo diligenter exploratae, ut quae antea perpaucis erant nota, nemini non pateant. Altero libro de duodecim Tabulis nihil planius legi exquiſitae ſolidaeque eruditionis, ſi duorum virorum excipias libros, Ant. Auguſtini, & Jac. Gothofredi, Hiſpaniae & Galliae clariſſimorum luminum. Tuus tandem Gravina effecit ut intelligerem, non ambitione quadam, ſed ex animo Ciceronem ſub perſona Craſſi dixiſſe: *Bibliothecas omnium Philoſophorum unum duodecim Tabularum libellum, ſi quis legum fontes, & capita viderit, & auctoritatis pondere, & utilitatis ubertate ſuperare*. Quam inaeſtimabiles divitiae in illis veluti faviſſis abſconditae erant! Quam fecunda verae ſapientiae ſemina! O vere praedicandam induſtriam, quae tam uberem fundum excoluit, & ſudore multo irrigavit, ut ſaluberrima bonae frugis copia naſceretur. Neſcio ſane an temporum injuriae iraſci nunc magis debeamus ea propter quia cum eripuiſſet nobis bonam partem ex tam praelaris antiquitatis monumentis, perpaucis tantum ignoverit reliquiis, quibus interpretandis facile Gravina noſter oſtendit, quantum in ceteris amiſerimus. Ego quidem eo iniquiori animo iſtam jacturam fero, quo magis conſidero, habere nos in tanta caligine adeo perſpicuam horum, quae ſuperſunt, fragmentorum interpretationem, ut vel ſaeculo aureo vix eruditius & luculentius enarrari potuiſſent. Quid dicam de altero libello, in quo Legum & Senatuſconſultorum, quae ad juris cognitionem praecipue conducunt, interpretatio continetur? Cum ſolidam illam, minimeque fucatam Juriſprudentiam conſidero, tum maxime Gravinam judico (ut ipſe eſſe & videri volebat) praeceptore Cujacio dignum diſcipulum. Sed quorſum haec apud Martinum? Litaſti tu quidem veritati. Quidni ego grata animi viciſſitudine idem faciam tantis ab illo fortunis locupletatus? Acceperam ante te cum Gravina conjunctiſſime vixiſſe. Hoc etiam, te plus quam Herculea virtute infeſtiſſimis quorumdam latratibus, qui ejus gloriam traducebant, os obturaſſe, edito honorificentiſſimo de illius eruditione teſtimonio, quo veluti e tartareis tenebris puro ſudoque Caelo reſtituta eſt Gravinae doctrina Euridice illa felicior, nullis poſthac obtrectationibus obnubilanda &c.

Jo-

Joſephus Caraſa C. R. in Romano Gymnaſio Hiſtoriae Eccleſiaſticae Profeſſor, nunc Epiſcopus Mileteuſis, De Gymnaſio Romano, & de ejus Profeſſoribus lib. II. cap. VI. pag. 432.

JAnus Vincentius Gravina Conſentinus Graecae Latinaeque litteraturae, & Juriſprudentiae ſcientiſſimus, natus in Oppido Roggiani prope Conſentiam XIII. Kal. Martias anno MDCLXIV. Neapoli bonis artibus inſtructus, Romam venit anno MDCLXXXIX. ubi ſequenti anno inter primos auctores fuit inſtituendae Arcadum celeberrimae Academiae. Vir ſummi laboris, ſummaeque eruditionis Cathedra juris civilis donatus eſt anno MDCXCIX. quam magna cum ſui nominis gloria uſque ad ſupremum diem occupavit, etſi plurimae Academiae, praeſertim Taurinenſis, illius operam magnis ſtipendis expetierint. Obiit Nonis Januarii MDCCXVIII. jacetque in Parochiali Eccleſia S. Blaſio nuncupata.

Giannantonio Sergio nella Prefazione delle Opere Italiane di Gianvincenzo Gravina dell'edizion di Napoli 1757.

LA nuova raccolta delle Opere di Gianvincenzo Gravina, che or viene in luce, non ha biſogno certamente di encomio, per riportare il comune e miglior plauſo degli ſcienziati. Il ſolo immortal nome dell'Autore ne forma l'elogio e'l pregio più compiuto. Per debil pratica, che uom ſi abbia nella Republica delle lettere, ignorar non può, che fu egli un de' più ſublimi e vigoroſi ingegni, ſurto in tempi da noi non lontani, a ſoſtener nell'Italia l'antico vanto e'l decoro della più culta ſapienza. Se pertanto la ſtampa delle Opere di lui ovunque abbiaſi ſior di ſenno ſi è proccurata; in Napoli ei ſembra, che far ſi debba con iſpecial ragione; poichè pregiaſi il noſtro Regno dell'onore della ſua naſcita, de' ſuoi ſtudj, e per conſeguente ancora delle ſue lodi. Quella parte di eſſo adunque, che fu già da' popoli Bruzj abitata, e che Calabria Citeriore preſentemente ſi appella, cotanto rinomata e conta per que' valentuomini, i quali ne' tempi del greco e del moderno ſapere vi fiorirono, gli diede il naſcimento. Nacque egli nella Terra di Roggiano &c.

An-

Digitized by Google

Antoine Terraſſon, Ecuyer, Avvocat au Parlement Hiſtoire de la Juriſprudence Romaine. Partie IV. Paragr. V. pag. 425.

JAnus, ou Jean-Vincent Gravina, par le quel je termine l'article des plus célébres Juriſconſultes de l' Italie, étoit du Diocéſe de Coſenza en Calabre. On ignore les circoſtances de ſa jeuneſſe & de ſes études. Tout ce qu'on ſçait decſa Perſonne & de ſes Emplois, eſt que le Pape Innocent XII, qui le conoiſſoit pour un homme d'un rare mérite, lui donna une Chaire de Droit a Rome. Mais les leçons publiques qu'il fut obligé d'y donner, tant ſur le Droit Civil que ſur le Droit Canonique, ne l'empéclerent pas de compoſer pluſieurs Ouvrages, tanto de Poëſie, que de littérature, & de juriſprudence. Après la mort d'Innocent XII, Gravina trouva un ſecond Protecteur dans la perſonne du Pape Clement XI, qui lui donna toujurs des marques de ſon eſtime & de ſa confidération. Gravina lui dédia les Ouvrages ſous ce titre: *Jani-Vincentii Gravinae Originum Juris, libri tres*, qui ſont regardés comme un tréſor de litterature & de juriſprudence. Ce Juriſconſulte avoit precedemment compoſé un livre *De Imperio Romano*, avec pluſieurs Diſcours ſur le Droit, tant Civil que Canonique, dont quelques-uns avoient déja été imprimés ſons ſes yeux, à la ſuite de ſes Origines du Droit, en 1713. & en 1714. Mais en l'année 1717. il donna à Leipick une edition complette de tous ſes Ouvrages de juriſprudence en un volume *in-quarto*, qui ſuffit ſeul pour donner une idée des Antiquités du Droit Romain, & des Deciſions qui ſont les conſequences des origines des loix . . . . Gravina aprés avoir donné cette edition, eut emie d'aller enſeigner le Droit à Turin: mais ce deſſein demeura ſans exécution, ce Juriſconſulte étant mort à Rome le 6. Janvier. 1718, n'étent encore âgé que de cinquent-ſix ans (*a*). Il y a peu d'Ouvrages de Juriſprudence qui ayent auſſi univerſelment réuni l'eſtime & l'approbation, que ceux de Gravina. Outre qu'ils ſont replis de pluſieurs details intéreſſans d'heſtoire & de litterature, ils contiennent d'allieurs des deciſions judicieuſes

(*a*) *Fallitur: nam Gravina vixit annos quatuor & quinquaginta. In quo errore verſatus eſt etiam Scipio Maffejus.*

ſes qui detruiſent ſans reſſource pluſieurs anciens prejugés que l'incapacité de pluſieurs anciens Juriſconſultes avoit introduits dans la Juriſprudence. Mais ce qui diſtingue principalment les Etrits de Gravina d'avec ceux de la plupart des Auteurs qui ont travaillé ſur le Droit Romain, eſt que le ſtile de ce Juriſconſulte, bien loin de rebuter le lecteur par cette ſeclereſſe qu'on trouve ordinairemente dans le Commentaires, l'attire au contraire par un belle latinité qui rend les Ouvreges de Gravina dignes du Siécle d'Auguſte &c.

Similia de Gravina tradiderunt. Acta Eruditorum Lipſiae ad annum MDCXCVII. menſe Februario, MDCCIII. menſe Septembri, MDCCIV. menſe Martio, MDCCVIII. menſe Octobri, MDCCIX. menſe Novembri.

Gottfridus Maſcovius in Praefatione, & Notis Operum Gravinae.

Thomas Aceti in Adnotationibus in Gabrielem Barrium de Antiquit. & ſitu Calabriae lib. II. Cap. IV. n. 7. p. 66.

Angelus Zavarroni in Bibliotheca Calabra pag. 180.

Scipion Maffei Giornali de' Letterati d'Italia tom. 6. art. I. e tom. 31. art. XII. pag. 318. e pag. 325.

Notizie Iſtoriche degli Arcadi morti Tom. I. num. LXIX. pag. 26.

Dizzionario Storico Portatile traſportato dal Franceſe, e ſtampato in Napoli MDCCLIV. tom. II. pag. 316.

Jean le Clerc Bibliotheque Ancienne & Moderne tom. IX. pour l'anné MDCCXVIII. Partie Premiere, Article V. p. 184.

Niceron Memoires pour ſervir a l'Hiſtoire des Hommes Illuſtres dans la Republique des lettres tom. XXIX. pag. 233.

Supplement au Grand Dictionaire Hiſtorique de M. Lovis Moreri, pag. 77.

Nouveau Dictionnaire Hiſtorique & Critique pour ſervir de Supplement, ou de Continuacion au Dictionaire Hiſtorique & Critique de Mr. Pierre Bayle lit. G. pag. 71.

F I N I S.

Digitized by Google

Digitized by Google

003652259

Digitized by Google

CB

Digitized by Google